
Bauhinus de Lapide Bez artico Or. Oc.







A dì 5 Giugno 1710 in Padoua, e lo
pagai Soldi — n.º 30.

CASPARI BAVHINI BASILEENS. ARCHIATRI & PRAXEOS PROFESS. ORDINAR.

DE

LAPIDIS BEZAARIS ORIENTAL. & OCCIDENT. CERVIN. & GERMANICI

Ortu natura differentiis veroque usu

EX

Veterum & recentiorum placitis

LIBER

priore editione auctior.

1710

BASILEÆ

Sumptibus LVDOVICI REGIS

ANNO cIↃ. IↃ. CXXV.

PERILLVST. ET GENEROSISS.
DOMINO
D. IOANNI GEORGIO SENIORI
LIB. BARONI IN FROBVRG
DOM. IN GLIERISS.
&c.

REVERENDISS. ARCHIEPISCOPI
SALISBVRGEN.

CONSILIARIO ET PRAEFECTO
IN RASCHENBERG
&c.

DOMINO SVO GRATIOSISS.

CASPARVS BAVHINVS
ARCHIATER
ILLVST. DVCIS WIRTENBERG.
MEDICVS

deuotè OBSERVANT.
MONVM.

ΤΥΧΗ ΚΑΙ ΠΟΝΩ
offert.

EPISTOLA DEDICATORIA.

Tanta est DEI OPT. MAX. in sublevandis humanis nostris miseriis beneficẽtia, PERILL. & GENEROSISS. D. BARO, ut nõ solùm de necessariis prospiciat: verùm & varia abundantiaq́ largâ manu nobis fundat ἡμᾶς. *Ecce enim (ut etiam sagaciss. naturæ scrutator C. Plinius Secundus testatur) ex quolibet viridario hortóve, vegetabile quoddam, herba frutéxve, earumq́ variæ partes, semina, radices, ligna, folia, fructus medico usui inseruire possunt: adeò ut* ἀντίδοτα, ἀλεξιφάρμακα, *aliaq́ sanitatis humanæ præsidia, è longinquis orbis partibus accersere supervacaneum videatur. Nihilominus (rara cùm sint cara, varietasq́ quandoque delectet) talis plurimis est indoles, ut domi nascentia aspernentur, exotica Indiarum & Arabiæ indigena exoptent. Hinc & LAPIS BEZAAR, qui ab Arabibus primùm, ante annos plus minùs septingentos, inuentus, nostris autem temporibus annis circiter septuaginta Europæis usitatus,*

velut

velut vniuersale quoddam aduersus quæcunque venena ἀλεξιτήριον, febresq́; malignas remedium expetitur. Quo igitur de eo certi essemus, cùm non modò quibusuis gemmis æquiparetur, sed & Auro præferatur: quo ægris subleuandis, dum opus esset, eo ipso vti possemus: quo denique & de eo nostram sententiam efflagitãtibus satisfaceremus, in huius Lapidis naturam verúmque vsum, omni studio, omniq́; diligentia penitiùs inquirere libuit: non solùm, vt quomodo vtiliter atque absque dispendio in ægrorum vtilitatem adhiberi poßit, quidq́; de eo statuendum sit, palam fiat: Sed etiam vt simul Principum Magnatúmque Archiatris ansam præberemus, Dominos suos monendi rogandíque, quo venatoribus suis, vt Bezaar Germanicum summâ diligentiâ indagent, iniungant: in proprium subditorumq́; emolumentum. Ex diuinâ siquidem DEI OPT. MAX. clementiâ duplex nobis est Bezaar. Vnum Ceruo, alterum Rupicapræ, primordia sua accepta ferens. Ceruinum quidem, siue viscosam illam interiori oculorum Cerui angulo adhærentem materiam, consideremus. Hanc in Orientalibus Ceruis Auenzoar, Scribonius Largus in Sycilia reperiri asserit. Sordes hic eas vocat, quas eius loci venatores ad Scorpionum ictus mor-

susq; asseruabant. Easdem sordes in Germaniâ & Langius obseruauit, aliiq; notarunt. Sin de Ceruinis in dicto oculi canto in lapideam duritiem lacrymis concretis loquamur, quemadmodum veterinariæ medicinæ grauis auctor Theomnestus scripto prodidit. Inter recentiores quoque Christophorus Encelius Germanus, I. Cæsar Scaliger Italus, & Iohannes Bodinus Gallus notarunt, atque ad omnis generis venena, veterum imitatione commendarunt. Aut tandem, de eo, qui Sexto Platonico Philosopho prægnantium Phylacterium est, lapide in Cerui ventriculo, Ceruæúe utero reperto: qui etiam Constantino Affricano testante, conceptum promouet. His Alexiteriam vim inesse euincit ossiculum quod Ceruino Cordi innascitur, quod applausu non exiguo, magnóque consensu omnes ea facultate dotatum asserunt: Ceruinum hoc est. Pilæ etiam in Rupicapris siue Damis, ex suauissimarum herbarum pabulo, εὐωδίᾳ insigni prædita, gratissimúmque spirantes odorem inueniuntur. Harum vsum & morbis malignis & ægrè parturientibus, singulariter commendant. In illarum vtinam (ii præsertim quos Alpes accolas habent, ideoq; iis abundant) in viribus potius indagandis, quàm iis adquirendis, diligentiorem nauarent operam.

ram. Sic etenim æquè facilè pauperibus (nec minor enim horum Christiano Medico cura habenda) ac Magnatibus diuitiisq; abundantibus, mederemur: & tum enim domesticum Bezaar nobis abundans suppeteret. Eâdem ratione quoque nec vllus adulterii, quod in Bezaare Indico vulgare est, metus nos teneret: de his in Tractatu ipso ampliús. Hæ, inquam, suscepti nostri laboris causæ fuère, quo ante decennium scriptum hoc luci exposuimus. Eius autem exemplaribus omnibus penitùs distractis, Typographi rogatu, secundò nunc eum auctiorem, & nitidiorem damus. Hunc igitur fœtum in Tuum, PERILLVST. *&* GENEROSISS. BARO, *sinum deuoluo, eum vt ab infensis defendas, & tutelare eius quodammodo sis numen. Et quem quæso rectius? quem iustius? quem æquius? ei Patronum eligerem? Vt enim fulgorem Illustrißimæ* FROBVRGIACÆ *familiæ taceã: in eius enim laudem alii multi digreßi cùm sint, satiùs mihi, nihil, quàm parum dixiße videtur, ne offendiße videar. Tanta* GEN. TVÆ *in* ILLVSTRISS. *Principum Consiliis dexteritas, prudentia, & authoritas. Magna tua in literatos fauor & animi propensio. Tantum rerum naturalium perscrutandi desiderium. Non obscurè sanè hæc*

mihi, si vlli alio, perspecta fuere, dum in Arcem Tuam non ita procul à nobis distantem, ab annis aliquot, propriæ valetudinis mihi committendæ causâ, vocare me dignatus es: vbi & inter alia, in quibus summum Heroicarum virtutum splendorem, quas incomparabilis acuit Humanitas, veneratus & admiratus sum, facto & consultò, vt & in ipso exposuimus opere, de Bezaare nostro Germanico colloquium nobis fuit. Cuius occasione non ita pridem par fragrantium illarum Pilarum tuo munere etiam obtinui. Cui, inquam, rectiùs iustiusq́ue, quàm ei cuius humanitate & munificentiâ splendidior hic prodit fœtus, hac in re Defensorem constituerem? sub cuius nomine æquiùs in literatorum manus iterum perueniret?

Suscipe igitur, PERILLVST. ET GENEROSISS. BARO, *eum benignè, fronte hilari & serenâ, quâ pro insigni tuâ humanitate cuncta soles. Obseruātiam meam in* GEN. TVAM *summam, hoc litterario munere testatam volui. Ne igitur eius detrectes tutelam, iterum etiam atque etiam rogo, oro & obtestor, omniaq́ue quæ à me proficisci possunt, officia paratißima offero.* BASILEÆ X. KL. *Quinctileis* ANNO τῆς θεογνωσίας CIƆ. IƆ. CXXIV.

ΠΙΝΑΞ

EORVM QVORVM OPERA VSI SVMVS.

A

ABDALA Anarach Medicus Arabs.
Adamus Lonicerus.
Albertus Magnus.
Alexander Maſſaria.
Amatus Luſitanus.
Ambroſius Paræus.
Andreas Alpagius Bellunenſis.
Andreas Baccius.
Andreas Cæſalpinus.
Andreas Dörerus.
Andreas Lacuna.
Andreas Libavius.
Andreas Thevetus.
Andromachus.
Anshelmus Boëtius.
Antonius Forneſius.
Antonius Fumanellus.
Antonius Guaynerius.
Antonius Mizaldus.
Antonius Muſa Braſſauolus.
Antonius Portus.

Antonius Schnebergerus.
Ariſtoteles.
Arnoldus Manlius.
Arnoldus Villanouanus.
Auenzoar Arabs.
Auerroes
D. Auguſtinus.
Auicenna.

B

Baldus Angelus.
Bernhardus Paludanus.
Bernhardus Penottus.

C

Camillus Leonardus.
Carolus Cluſius.
Carolus Gallus.
Caſparus Schwenckfeldt.
Chriſtophorus Acoſta.
Chriſtophorus Encelius.
Chriſtophorus Hornius.
Chriſtophorus Hüeblin.
Claudius Chapuys.
Claudius Galenus.
Claudius Ptolomæus.
Claudius Richardus.
Conradus Geſnerus.
Conradus Heresbachius.
Conſtantinus Africanus.

D

Daniel Sennertus.
Dauid Propheta.
Diomedes Amicus.

Diome-

Diomedes	Cornarus.
	E
Emanuel	Tremellius.
Empedocles.	
Euax	Arabs.
	F
Fabius	Columna.
Felix	Platerus.
Ferdinandus	Lopez.
Ferdinandus	Ponzettus Cardinalis.
Ferrandes	Imperatus.
Franciſcus	Hildesheim.
Franciſcus	Pona.
Franciſcus	Valeſius.
	G
Gabriel	Fallopius.
Gabriel	Hummelbergius.
Garzias	ab Horto.
Gotthardus	Arthus.
Gregorius	Bertinus.
Gregorius	Horſtius.
Gregorius	Schön.
Gualtherus	Ryff.
Guido	Pancirollus.
Guilhelmus	Fabricius.
Guilhelmus	Gratarolus.
	H
Hali	Abbas Arabs.
Hali	Rhodan Ægyptius.
Hamed	Ebenreriphus Arabs.
Henningus	Scheneman.

Henri-

Henricus à Bra.
Henricus Dobbinus.
Henricus Ranzouius.
Henricus Salmuth.
Hercules Saxonia.
Hesiodus.
Hieronymus Brisianus.
Hieron. Capeuaccius.
Hieron. Cardanus.
Hieron. Mercurialis.
Hieron. Montuus.
Hieron. Reusnerus.
Horatius Augenius.
Hortus Sanitatis.

I

Iacobus ab Alens
Ioachimus Camerarius.
Ioachimus Schillerus.
Ioannes Agricola.
Ioan. Antonius Sarracenus.
Ioan. Arculanus.
Io. Baptista Montanus.
Ioan. Baptista Syluaticus.
Ioan. Bauhinus.
Ioan. Bodinus.
Ioan. Caluinus.
Ioan. Collerus.
Ioan. Costæus.
Ioan. Crato.
Ioan. Fernelius.
Ioan. Fragosus.

Ioan. Franciſcus	Vlmus.
Ioan. Georgius	Agricola.
Ioan. Georgius	Schenckius.
Ioan.	Gorræus.
Ioan.	Guinterus Andernacus.
Ioan.	Heurnius.
Ioan.	Hugo à Linſcotten.
Ioan.	Kentmannus.
Ioan.	Langius.
Ioan.	Manardus.
Ioan.	Matthæus.
Ioan.	Meſues.
Ioan.	Porta.
Ioan.	Renodæus.
Ioan.	Schenckius.
Ioan.	Thomas Minadous.
Ioan. Iacobus	Weckerus.
Ioan.	Wittichius.
Ioſephus	Acoſta.
Ioſephus	Quercetanus.
Iſrael	Spachius.
Iulius Cæſar	Claudinus.
Iulius Cæſar	Scaliger.
Iuuenalis.	

L

Leonhardus	Rauwolff.
Leuinus	Lemnius.
Ludouicus	Gyon.
Ludouicus	Mercatus.

M

Marcellus	Donatus.

Marſi-

Marſilius Ficinus.
Martinus Rulandus.
Matthæus Dreſſerus.
Matthias Syluaticus Pandectarius.
Michael Döringius.
Moyſes Kimhi

N

Nicolaus Agerius.
Nicolaus Florentinus.
Nicolaus Nancelius.
Ricolaus Monardes.

O

Octauianus Roboreta.
Oppianus.
Oſualdus Crollius.

P

Paulus Ægineta.
Paulus Cigalinus.
Petrus Andreas Matthiolus.
Petrus Apponenſis Conciliator.
Petrus Foreſtus.
Petrus Hiſpanus.
Philibertus Sarracenus.
Philippus Hœchſtetter.
Plinius.
Plutarchus.

Q

Q. Serenus Samonicus.

R

Raby Moyſes.
Raymundus Minderer.

Reine-

Reinerus	Solinander.
Rhaſis	Arabs.
Robertus	Guagninus.
Rodericus	à Caſtro.
Sanctes	Ardoynus.
Sanctorius	de Sanctoriis.
Scribonius	Largus.
Serapio	Arabs.
Sextus	Philoſophicus Platonicus.
Simon	Ianuenſis.
Simon	Mayolus.
Socrates.	
Solinus.	

T

Thebir.	
Theomneſtus.	
Thomas	Iordanus.
Tipthaſi	Arabs.

V

Valeſcus	de Taranta.
Vitalis	à Furno Cardinalis.
Vlyſſes	Aldroandus.
Wolffgangus	Gabelchouer.

X

Xenophon.

Z

Zacharias	Belinus à Belfort.

AR-

ARGVMENTA CAPITVM.

DE nomine Bezaar, cap.1. pag.5.
De Lapidis Bezaar differentiis, c.2. p
De Lapide Paxar ex capite animalis
empti: simul & de lapide Aspidis & Buffo
cap.3. pag.17.
De Lapide Malacensi, ex vesica fellea hystr
exempto, cap.4. pag.21.
De Lapide Bezaar metallico siue minerali S
pionis, Raby Moysis & Cęsalpini, cap 5. p
De Bezoare minerali Saxoniæ, cap.6. p.28.
De Lapide ex Cerui lacrymis condensato,
pag.32.
Descriptio Lapidis Bezaar ex cerui lacry
condensatis geniti, cap.8. pag.49.
De lapidis Bezoaris ceruini vsu & exhibe
modo, cap.9. pag.51.
Qui lapidem ex lacrymis cerui condensa
agnoscant, & qui eum ab altero distingu
cap.10. pag.58
De lapide in Ceruo, ceruáve genito, cap.11.
De pila in ventriculo Vituli, cap.12. pag.64.
De pila Rupicapræ, siue Bezoare Germa
cap.13. pag.67.
De lapide in equo, cap.14. pag.73.
De lapide Bezaar ex Arabum sententia, ca
pag.75.
De lapide Bezaar recentiorum, cap.16. pag
Animalis nomen, cap.17. pag.97.

Ani

Animalis forma, cap.18. pag.98.
Locus vbi animal hoc reperitur, cap.19. pag.102.
Locus in animali vbi lapis hic reperiatur, cap. 20. pag.107.
Materia huius lapidis, cap.21. pag.109.
Generationis modus, cap.22. cap.114.
Quo tempore generetur, & de huius lapidis laminis, cap.23. pag.120.
De forma lapidis, cap.24. pag.124.
De colore lapidis, cap.25. pag.126.
De odore & ſapore lapidis, cap.26. pag.129.
De magnitudine, pondere, cap.27. pag.129.
De pretio lapidis, cap.28. pag.133.
An lapides hi adulterentur, cap.29. pag.135.
Quomodo adulterentur, cap.30. pag.141.
Quibus notis ſiue ſignis legitimos cognoſcere, auctores doceant, cap.31. pag.143.
Quid propoſitis ſignis tribuendum ſit, Syluatici opinio, & quibus ſignis in vero dignoſcẽdo Medicus vti debeat, cap.32. pag.157.
De lapidis huius temperamẽto, cap.33. pag.172.
De lapidis Bezaaris veri doſi, ſiue quantitate, cap.34 pag.178.
De parte quæ exhiberi debet, tempore, perſona & vtendi modo, cap.35. pag.185.
Quomodo ſanitatem conſeruet, & ſudorem promoueat, & num vtiliter id fiat, cap.36. pagina 193.
Quibus in morbis vſurpari debeat, cap.37. pag. 196.
An in febrib. ipſius vſus eſſe debeat, cap.38. pag. 204.

An in peste huius vsus esse posit, cap. 39. pag. 209.
In affectibus externis Bezaaris vsus, cap. 40. pagina 214.
Contra venena quid posit lapis Bezaar, cap. 41. pag. 216.
Historiæ plures eorum qui hoc lapide feliciter vsi sunt, cap. 42. pag. 223.
Qui hunc lapidem non magnifaciant, vnà cum Historiis eorum qui sine fructu vsi sunt, cap. 43. pag. 244.
De lapide Bezaar Occidentali siue Peruuiano, cap. 44. pag. 254.
De Vicunnas & Taraguas in Peru, animalibus in quibus Bezaar reperitur, cap. 45. pag. 256.
De ouibus Peruanis, Pacos & Guanacos, cap. 46. pag. 259.
De loco in animali in quo lapis hic reperitur, cap. 47. pag. 262.
De lapidis huius materia & generationis modo, cap. 48. pag 264.
De huius lapidis differentiis, cap 49. pag 267.
De lapidis Bezaar occidentalis facultatibus, quantitate, & vtendi modo, cap. 50. pag. 272.
Quibus in morbis huius vsus esse posit, cap. 51. pag. 274.
De lapide Bezaar ex Hispania noua, cap. 52. pag. 279.
Appendix in qua de Bezaardico animalis & Bezaardico minerali recentiorum breuibus agitur, pag. 281.

DE

DE LAPIDE BEZAAR

AD NOBILEM, CLARISSIMVM VIRVM DOM. CASPARVM BAVHINVM Anatomicum Botanicum, Med. Professorem Academ. Basiliensis celeberrimum.

AVt nihil, *aut* aliquid Bezahar: BAVHINE *quid inquis?*
Est nihil, *id dices, & tamen est* aliquid.
Quod tanti pretii res sit, quæ cuncta venena
Abstrusis superet viribus, id nihil *est?*
Si nihil: *est* aliquid *sic ludi & ludere posse*
Humanum in rebus tàm nihili *ingenium.*
Vt nihil *esse putem, suadent monumenta vetusta,*
Et variis variè dissona scripta viris.
Hic hircum lapidis, capram fallit ille parentem,
Accepta hic ceruo præmia tanta refert.
Deripit hic lapidem ex oculis, exenterat ille
Ventriculum; guttur dissecat ille cauum.
Quod si ergo est aliquid, *quid Iupiter inuide nobis.*
Non etiam tales dasq; creasq; capras.
Sunt nobis virides montes & amœna vireta:
Sunt Hederæ & Cytisi, sunt Salicúmque comæ.
Nec Machaoniades desunt ex asse periti,
Inuestigantes quicquid hic Orbis habet.

Corpora quiq; secant hominum, pecudumq; ferarum,
Et monstrant vulsis carnibus ossa suis.
Ergo age, me, BAVHINE, *doce, dubiúmque resolue:*
Anne lapis Bezahar sit nihil, anne aliquid.

IOAN. FAVTSCHIVS Med. Doct. & Profess. Acad. Friburgensis Brisg. Anno MDCXIII.

DE PRETIOSISSIMO INDORVM LAPIDE BEZAAR, ET INDEFESSA IN EO PERUESTIGANDO INDUSTRIA EXCELLENTISSIMI VIRI D.D. CASPARI BAUHINI, &c.

BEZOAR *indomitos vitæ, cordisq; tyrannos,*
Toxica vi nunquam deficiente domat.
Vipera nil dentis, nil caudæ Scorpius ictu
Officit: effœta & nunc Aconita iacent.
Nunc Rex, nunc Hostis sua sumit fercula tutus:
Illitaq; in cassum Thrax sua tela ferit.
Hasce dat Indus opes: sed opem parat inde salubrem
BAVHINI *solers, fida perita manus.*
Indica visceribus gemmam ferruminat imis
Dama: vbi detractas ruminat ore dapes.
Ast iterum ingenio, Methodóque resoluit eandem
BAVHINVS: *vires intimiusq; probat.*
Quas ferat Eous: quas procreet Hesperis: vtqúe
Vi varient: superent deficiantve, docet:

Vt su-

Vt ſubito Vitæ ſcatebras munimine firment:
Ne furtim accelerent ſubdola Philtra necem.
En horas etiam, & pondus, moriture, modúmque
Antidoti, citò te, quo tuearis, habe:
Et mecum ex animo, tanto pro munere rerum,
Opta, BAVHINVS *ſecla ſuperſtes agat:*
BAVHINO, *cuius reſonat ſat fama per Orbem,*
Summe DEVS *larga quæqúe repende manu.*

Obſeruantiæ ergò p.

NICOLAVS AGERIVS
Philoſ. & Med. Doctor apud
Argentinenſes.

ALIVD.

SVnt plantæ, credas, vitáque lethum,
Venena sunt, sunt pharmaca;
En morsus cordis dedite Phœbo,
Vitare si solers velis,
Cognoscas solers αἴτια morbi,
Cognosce solers pharmaca,
Vt lædant pectus toxica tela,
Vt lædat anguis viscera.
Quæ gignat ceruus, ceruáque saxa,
Quæ dama gignat marmora,
Incertus Phœbus fluctuat hicce,
Incertus est Asclepius,
Heic mens dormiscit, nescia rerum,
Heic clara turris Dædalo;
Hic prolem damæ, Bezoar esse
Putat, capræ hic, cerui putat;
Hic scriptis laudat, culpat & alter,
Hic, Bezoar, dicit, domat
Quæ lædunt pectus dira aconita,
Hic Bezoar virus vocat;
Ceruini hic quærat pondera saxi,
Incerta scribit pondera;
Ceruini saxi colligit alter
Notas labore plurimas,
Hic vsum monstrat, sed negat alter,
Effecta dum verbis negat.

Dum

Dum incertus Ponti cærula ſulcas,
Haut Caſtor, aut Pollux tibi,
Haut Phœbus Phœbe & lumina ſpargunt,
Et vmbra Pontum contegit,
Si magnus nullus, cymba per vndas
Si fluctuet, rauco Notho,
BAVHINVM Phœbum conſule magnum,
Lucet Sophis hic vnicus,
Quod Phœbus cœlis & ſoror alma,
BAVHINVS hoc medentibus;
Quod Pollux Nautis, Caſtor & Vrſa,
BAVHINVS hoc medentibus,
Quod magnes Nautis, hoc tibi ſolus
BAVHINVS eſt perinclutus,
Quid magnus Mundus, parua figura
Mundana, quid ſit, edocet.
BAVHINVVM Phœbum conſule magnum,
Quid Bezoar ſit, edocet;
His ſcriptis ſpargit munera Floræ,
Et mortis atræ ſpicula
Oſtendit pubi, quam altus Apollo
In rura mittit phœbica,
Morborum vt cedant agmina, Nili
In prole, ſcribit doctius.
Triplam, ſic peſtem, cælitus ortam,
BAVHINVS arte depulit.
Hunc Phœbum magnum, ſuſpice, caſtra
Sequutus es qui Phœbica;
Huic Phœbo magno, ſæcula Phœbus
Ex arcibus mittat Poli,

1582. 1594. & 1610.

Huic

Huic Phœbo magno, Phœbica proles
Et frutices sacros dicet;
Et ponat Phœbo saxa, colossos,
Sit sancta laurus Delphica;
Hoc scripsit metron curta Thalia,
BAVHINE *te summè colens*
Quod lætâ, DOCTOR, *suscipe fronte;*
Per scripta Musas & doce.

Obseruantiæ & æuiterni
cultûs arrham p.

IOAN. HENRICHVS Frölich/P. Cæs.
& M.D. Anno MDCXIII.

CA-

CASPARI BAVHINI BASIL. IN SVVM de Lapide Bezaar LIBRVM

PRAEFATIO.

QVANTA, quamque immenſa ſit DEI OPT. MAX. erga humanum genus miſericordia, & benignitas, in remediis humano generi ſalutaribus producẽdis, ſiue Herbæ ſint, ſiue Lapides, ſiue Metalla, ſive Gummata, Reſinæ've, ſiue Ligna, quæ quotidie in noſtram notitiam perueniunt, notiùs eſt, quàm vt pluribus oſtendere, neceſſum ſit: vt non immeritò Ioannes Meſues ſuum Grabadin, Medicinarum particularium, tali ſententia exorſus ſit: *Sanat ſolus languores Deus, & de frugalitatis ſolio produxit in largitate ſua Medicinam, benedictus, glorioſus, & excelſus Creator.* Tantum eſt etiam hominum in iiſdem inquirendis & inueniendis ſtudium, tantaque induſtria, ut præter plurima Alexipharmaca,& Alexiteria, ſive, ut vulgò vocant,Bezoardica,hactenus contra venena excogitata, hoc ſeculo plures lapides oſtendantur, quibus aduerſus venena vim ſingularem inſi-

tam asserunt. Cuiusmodi sunt lapis Tiburonum piscium, in mari Indico, Chelonites, Brachites, Alectorius, Caymanus, Rubetarum, &c. inprimis tamen lapidis cuiusdam Bezaar vsus, non solùm contra quævis venena, sed ad alios plurimos morbos tanquam Panacea inualuit; qui licet à Græcis, vt disertè Montuus, Monardes, Syluaticus, & Pancirolla pronunciarunt, & antiquioribus Latinis incognitus, ab Arabibus verò Medicis ante annos circiter septingentos (vixit enim Rhases anno 960.) miris laudum præconiis, tanquam inter Alexiteria, quæ ex animalibus petuntur, nobilissimus & præstantissimus celebratus est, qui postmodum hominum incuria neglectus, annis plus minus quingentis, penè intercidit. Posteaquam verò Febres illæ malignæ, quas ob macularum, culicum morsus referentium, & in toto corpore erumpentium, efflorescentiam, Pettechiales ab Italis, & ab aliis pestilentes appellatæ, & à quibusdam nouæ iudicatæ, grassari cœpêre, Lapidis Bezaar memoria, Medicis eum summopere commendantibus, reuixit, ita vt de eo comparando, homines solliciti esse cœperint. Et, vt rectè Syluaticus, Reges sanè ipsi, Principes & potentiores, facilè sibi persuaderi passi sunt, vt nullis sumptibus parcentes, hunc conquirerent, cùm ipsis non solùm insueta, peregrina, sed promissis egregiis plena, multoque auro redimenda proponerentur. Imò, & populus, Medicorum pollicitationibus persuasus, neminem ab eius generis

Febre

Febre pettechiali sine tali medicamento liberari posse,& ipse cœpit hunc auidè expetere, & quouis precio redimere. Hinc factum, vt etiamnum hodie, lapis hic apud Principes, & Magnates tanti nominis sit, vt eum non solùm inter sua ceimelia reponant, verùm etiam in Gemmarum numero,& quidem earum quæ auro æquiparantur, & etiam illo pretiosiores existimantur, habeant: ita vt hunc Medici, sed nonnulli etiam inuiti, in illorum gratiam, in vsum reuocare cogantur. Quod cùm homines impij & auari animaduerterent, hominum inquam, in his rebus credendis facilitatem nimiam, accedente quin etiam lapidis hujus, ob itineris longitudinem, raritate, modos varios, non solùm hos adulterandi, sed falsos veris similes conficiundi excogitarunt, neutiquam dubitantes, ob tantam credulitatem, tantumq; desiderium lapidem hunc conquirendi, homines decipi posse: hæc causa cur quamplurimi falsi & adulterati adferantur, sicque fortè euentus speratus non succedat. Quare, cùm de huius & inuentione, & forma, & vsu, opiniones variæ sint, ita vt non parùm difficultatis habeat, & obscuritatis plurimùm; placuit (quo plurimis, qui sæpissimè suis literis nos sollicitarunt, gratificaremur) auctorum, quotquot invenire potuimus, opinionibus diligenter consideratis, tractatum hunc, veritatis, non carpendi, studio ductus, conscribere. Socratis ergo apud Platonem *a* exemplum imitatus, qui in difficilium contemplatione, *Deum* in-

uocauit, ad opusculi huius constitutionem cum diuino Platone *b*, *Deum inuoco, qui vtinam audiat, exaudiensq; propitius, & benignus nobis adsit, vnà nobiscum orationem nostram exornaturus.*

a in Philebo. *b* 4. de legib.

Dicam autem primò, de nomine Bezaar, quibus hoc nomen tribuatur, & quę nominis sit ratio; dein, de Lapidis Bezaar differentiis; tùm, de Lapide minerali: quartò, de lapide Paxar, Aspidis & Buffonis: quintò, de Lapide Malacensi: sextò, de Lapide Bezaar metallico sive minerali: septimò, de Lapide ex lachrymis cervi condensato, ceruique lachrymis & Lapide in ceruo ceruáve genito: octauò, de Lapide seu pila in vitulo, rupicapra & equo: nonò, de Lapide Bezaar Arabum, ipsorum verbis adductis, an fortè inde constare possit, de quónam Lapide verba fecerint: decimò, de Lapide Bezaar recentiorum, Orientali, eius generatione, generationis loco, legitimi notis, adulterati signis: de genuini lapidis vsu, hoc est, quibus in morbis vsurpatus fuerit, vel vsurpandus sit: exhibendi modo & quantitate: quibus vtilis fuerit, vel nullum vsum præstiterit, exemplis & historiis aliquot edocebimus: vndecimò, de Lapide Bezaar Occidentali seu Peruuiano, & eo qui ex Hispaniola adfertur; duodecimò & ultimò, de Bezaardico animalis & minerali pauca aspergemus, & hæc omnia ad Alexicaci Opt. Max. laudem, & proximi vtilitatem.

DE

DE NOMINE BEZAAR.

CAPVT I.

VOCABVLVM Bezaar, alii *a* Hebraicum, alii *b* Persicum esse censent: illi Belzaar, vel Belzahard *c* legunt: vel vt Boetius, à Beluzar Hebraico & Chaldaico vocabulo: *c* nomine composito *d* ex Bel, & Zaar, quorum illud dominum, hoc verò venenum significat; vel *e* Bahalzahar, id est, dominator veneni. Hebræi namque sagacissimi naturæ interpretes, & qui nomina rebus, pro cuiusque natura indiderunt, ita appellarunt. Vnde lapidem istum, Gesnerus *a* quasi dominum veneni, dictum coniicit. Cuius etymologiæ ratione, meritò pro cuiusuis veneni antidoto peculiari, vsurpatur; quem aliqui *f* Begaar vocant.

Qui Persicum asserunt, & ab Arabibus vsurpatum, Bedezahar legunt, vel *g* Badzahar: Serapioni *h*, Albezahar nomen Persicum est, & est expellens nocumentum; quo nomine & Auicenna *i* vsus est, licet in veteri eius indice *k* Bezarahat occurrat: apud alios *k* Bezarad, vel potiùs *k* Bedezarahath: apud Rhasin *l* Bezahar, & apud Ianuensem, *m* cui & Bezard: apud Auerröem *n* Bedazar: apud Pandectarium *o* Bezachar; & Bezaar. Bezahart legit Scaliger *p*, & vitam conseruantia reddit; & Arabes antidota ad

venena, patria lingua ſic vocare ſolent. Lapis theriacalis, Arabibus Bezoar, Villanouo *q*; Bedzahar, Valeſco: tandem Gorræo *r* Bezaar, qui lapidem ſolis Arabibus notum, & nomen apud Græcos non habere ſcribit: & Pancirolla *s* ſuperiori ætate incognitum, Latinis & Græcis nunquam aſſerit. Notatu tamen dignum, Bezard, vt habet *t* Ianuenſis, vel vt Pandectarius *u* Bezaard, vel Bezadaret, vel Bezarat, Berz & Berzad, etiam ab Arabibus de ipſo Galbano *x* dici, propter virtutem eius excellentem contra venena: quod ex Auicenna *y* & Serapione colligere eſt, prout eius translator expoſuit, qui in Theriacæ deſcriptione eius meminêre; & vbi Andromachus, & Galenus, Galbanum requirunt, ibi Auicenna Bezaar, vel Bezaard poſuit, licet Bellunenſis *z* Bazard, vel Bezard legat. Sic & ipſam Theriacam, Bezardem Pandectarius *u* nominat. Sed ad rem.

Nomen hoc dupliciter conſiderari poteſt, vel in genere, vel in ſpecie: In genere *aa*, quatenùs omnibus medicamentis veneno reſiſtentibus, competit, & noxam corpori à veneno illatam, expellit. Probatur definitione ab Auicenna *bb* propoſita: Albezahar, & Theriaca, inquit, ſunt medicinæ, quarum proprietas eſt, vt conſervent ſanitatem, & virtutem in ſpiritu, vt ex eis expellat nocumentum veneni à ſe. Quare Cardanus *cc* exponens, quæ ſint Alexipharmaca, & quomodo cognoſcenda, quatuor genera conſtituendo, quartum genus inveniri aſſerit,

quod

quod generaliter venenis etiam resistat, & vocetur Bezahar apud Arabes, cùm sine adiectione profertur; & cùm refertur ad venenum certum, dicitur Bezahar eius; vt Napelli, Moschus. Nam cùm lapis *dd* Bezoar inter antidota principatum sibi vindicarit, factum, vt per ἀντονομασίαν omne id, quod toxica elidere creditur, ea denominatione insigniatur. Hinc electuaria, & pulueres Bezaardici, ex Arabum gazis accersiti; & quot sunt venenorum species, totidem Bezoar statuunt, vt cuilibet veneno peculiare sit Bezoar. Et sic Albezoar, seu Bezaardicum medicamentum, erit idem cum Alexiterio & Alexipharmaco; nihil enim refert, siue Alexiteria, siue Alexipharmaca, in hoc Galenum *ee* imitati, dicamus; quamuis *cc* neget, Bezahar Arabum idem esse, quod Alexipharmacum Græcorum. Quòd si de his duobus lacryma cerui, & de smaragdo, cui vis omnibus venenis resistendi tribuitur, loquatur, concedimus: sin de aliis, vt de Terra sigillata, Bolo armeno, & similibus, tunc dicimus, hæc à Græcis inter Alexipharmaca, ab Arabibus inter Bezahardica fuisse relata, vt infrà ostendemus. Sic Marsilius Ficinus *ff* smaragdum, Hyacinthum, Topazium, hos lapides ab antiquis, appellari Bezoar, id est liberatores mortis, asserit; & quod Theriacā in hoc excellant, quòd hæc venena à se pellat, non verò ad se trahat, huiusmodi autem lapides vtrumque facere; quare & per os exhiberi, & plagæ, morsuræ, & bullæ venenosæ superponi posse.

Ἀλεξητήειος *gg* quaſi ἀλεξυθήειος, τῶν ἰοβόλων ζώων, ἢ θηρείων. Ἀλεξιφάρμακον verò τῶν θανασίμων φαρμάκων, quorumcunque ſiue natura, ſiue arte conſtent. Niſi quis τὰ ἀλεξητήεια, ad præcavendum, idem quod προφυλακτικὸν φάρμακον: ἀλεξιφάρμακα verò ad curandum, ex vi nominis pertinere dicat. Idem quoque θηριακὸν, quòd ferarum morſibus medeatur, dici poteſt; hinc Latinobarbaris Tyriaca; quare ſecundũ Ianuenſem *hh*, Bezard eſt Arabibus omnis medicina liberatiua à veneno, nos autem proprio vocabulo hoc ſignificante carentes, Tyriacam vocamus. Aliis Tyriacalis, & Bezoardica vel Bezaardica medicina nominatur, quam cum Plinio antidotum appellare poſſumus, quæ Auerroi *ii* medicinæ Bedazaricæ, vel Bezahar dicuntur, ſiue ſimplicia, ſiue compoſita ſint. Quamuis Auicennę *kk* videatur, nomen Theriacæ, artificialibus, ſiue compoſitis; & nomen Albezaar, ſingularibus conuenire.

Eiuſmodi ſunt, quæ venenis omnibus competunt, quæ veneni impreſsionem prohibent, aut eius malitiam frangunt; vt inter ſimplicia, Terra ſigillata, quæ propter virtutes mirabiles contra venena, Lutum diuinum appellatur; hanc enim Galenus in lepore marino, & cantharidibus fuit expertus. Auicenna *ll* in morſis à cane rabido, cunctis venenis obuiare, ſcriptũ reliquit. Sic bolus armena, à Galeno *mm* inter Bezoardica relatus. Sic venenorum Bezaar *nn* appellari debent etiam ea, quæ omnibus venenis

nis à tota ſubſtantia reſiſtunt, vt ſemen citri, radix Zedoariæ *nn* & ſimilia: ſic inter compoſita, Theriaca à Galeno *mm* inter Bezoardica enumeratur. Quare Rabi Moyſes *oo* aſſerit, Theriacam magnam electã, dein Mithridatium, tùm diateſſeron, omnibus medicinis compoſitis à venenis liberantibus, præferre debere: Sic Guaynerius, *pp* ignorato veneno, Theriaca magna ſtatim in potu exhibeatur; hoc enim omnium animalium commune Bezear eſſe poteſt: addens, ad idem valere lapidem Bezear, coagulum leporis, vnicornu, tormentillam, radicem diptamni. Hæc de conſideratione nominis in genere, nunc de eo in ſpecie.

Nomen Bezaar in ſpecie, dupliciter quoque conſiderari poteſt. Nam primo modo, & particulariter *qq* ſumitur pro medicina appropriata ad remouendum nocumentum alicuius particularis ſeu determinati veneni: hoc modo cuilibet particulari *qq* veneno, ſuum peculiare & ſpecificum eſt antidotum, ſeu proprium habet Albezaar ſeu Bezaar. Vel ut Serapio *rr*, hoc nomen cadit ſuper duo: vnum eſt, quod cadit ſuper omnem medicinam conuenientem alicui veneno, eò quòd reſiſtit virtuti eius, & expellit nocumentum ab eo, per proprietatem, quæ eſt in eo. Quamuis Conciliatoris *ſſ* ſententia ſit, hoc nomen non ſolùm medicamento contra venena, ſed etiam aliis competere: ſic enim ſcribit: De omni medicina, quæ hominem à morte liberare poteſt, ab aliqua ægritudine, vel vene-

no, illud dici poteſt, quòd ſit Bezoar illius morbi, ſive ſit illa medicina lapis, vel granum, vel ſuccus, vel aliqua compoſita medicina: hæc ille. Nam ut eleganter Valleſius *tt*, in rebus quoque inanimis antipathia naturalis euenit: cùm enim ſint quædã antidota, & ſimplicia & compoſita, quæ cenſentur pluribus venenis aduerſari, vt lapis Bezahar, & Theriaca, tamen ſunt ſingulis venenis ſingula antidota propria, quia eſt quod cuique particulariter, ac propriè aduerſatur, veluti aconito, ruta; opio, generoſum vinum; lepori marino, lac. Itaque ſunt quædam ſimpliciter antidota, quædam quorundam: atque deleteriorum generi aduerſatur genus alexipharmacorum, vnum vni cuicunque venenorum antidotum.

Eiuſmodi exempla plura apud Arabes, alióſque reperiuntur: vt apud Auicennam *uu* in cura Napelli, vbi refert, eſſe qui Capparum radices, Napelli Bezehar exiſtiment. Idem *xx* grana pini, & nucem, Anacardiorum Bezahar conſtituit. Sic eidem *yy* coagula omnia ſunt Bezaard, & coagulum hœdi, eſt Euphorbii Bezaard. Sic Conciliatori *zz* ſcoriæ ferri bezoar, eſt Magnes: magnetis bezoar, Smaragdus: Arſenici bezoar, cryſtallus, &c. Vocat autem Conciliator cuiuslibet veneni bezoar, eam medicinam, quæ abſque virtute elementari tale venenum curat: habet enim (ait) quodlibet venenũ, tàm minerale, quàm vegetabile, & animale, propriam medicinam oppoſitam ei, à qua oppoſitione

tione virtute specifica fit liberatio mortis ab illo veneno. Quare idem *zz* inter medicamenta, quæ venenorum curam absoluunt, & inter Bezoar, differentiam fecit: ita ut in aliquibus curam specificam proponat, cui curæ postea peculiare Bezoar subiungit: in quibusdam, & curam Bezoar eadem esse scribit. Idem videas apud Guaynerium *aaa*, cui Nucis vomicæ bezoar, est cortex citri; Coloquintidis bezoar, Smaragdus; Cantharidũ bezoar, semẽ alkekengi, & cætera.

Altero modo in specie considerari potest Bezaar, non quatenus specificum est contra hoc vel illud venenum Bezaar, sed quatenus hoc nomen vni medicamento competit, quod contra omnia venena ex æquo valet. Vel ut Serapio *bbb*, & ex eo Nicolaus Florentinus *ccc*, & secundum est, quod cadit super lapidem notum, qui conuenit omnibus venenis calidis & frigidis, cum tota sui substantia, & resistit eis bibitus, aut suspensus super patientem *ddd*: vel vt Marsilius Ficinus *eee*, siue sumatur per os, siue ore teneatur, vel à collo suspensus, tùm denique quouis modo applicatus *fff*. Eiusmodi dicitur esse lapis Bezaar, qui aliquibus Albezard *ggg*, vel Bezard, à quo ea, quæ veneno resistunt, Albezahar dicuntur: quem Serapio *hhh* Hager Albezahar, id est lapidem liberantem à venenis, vt Theriaca, vocat: quidam *iii* tamen, legit Hegiar Bedezarahath, lapis Alexipharmacus. Siue ergò in genere, sive in specie vocabulum Bezaar consideres, semper de antidoto contra

venena intelligi debet: quare Scaliger *kkk* vocem Bezahart, vitam conſeruans interpretatur: ſic enim Arabes antidota ad venena, patria lingua vocare aſſerit. Vel vt Ianuenſis *lll*, Bezard eſt omnis medicina liberans à venenis: & Marſilius Ficinus *mmm*, Perſico idiomate id omne Bezoar ab antiquis appellari ſolet, cuius eſt proprietas virtusque pellendi venena. Quare mirari ſubit, cur Cardanus *nnn* radici venenatæ, Bezaris nomen tribuat, dum ſcribit: In Pely Orientalis Indiæ regione, referunt radicem eſſe venenoſiſsimam, nomine Bezar, quę ſtatim occidat, cuius fructus non ſolùm aduerſus radicem, ſed etiam quæcunq; alia venena præſtantiſsimum ſit auxilium: vocatur autem fructus Nirabri. Verùm videtur Cardanus ex Scaligero *ooo* corrigendus, cuius hæc ſunt verba: In regno Deli, quod Tartaris Catainis affine eſt, arbor naſcitur, quæ Baxera nominatur: eius radix vorata, illico interficit: cuius mali remedium, fructus eſt, qui dicitur Nirabri: eo namque venenum tollitur cuiuſcunque generis.

At poſsitne dari Alexiterium aliquod, quod contra deleteria omnia pariter & æqualiter valeat, non ſine cauſa dubitare *ppp* poſſet, cùm venenorum omnium effectus ſimiles non ſint, neque ab eadem cauſa manantes; quædam enim occulta, & ſpecifica totius naturæ proprietate agunt: alia ab elementari aliqua qualitate præcellente. Itaque ſuo cuique ſuum, & proprium contrarium opponendum eſt, calido frigidum,

eique

eique quod formæ proprietate occulta oppugnet; aliud, quod eadem vi propugnet. Contrarium videtur Foresto *qqq*, qui ex Guaynerio *rrr* iubet, ignorato veneno, Theriacam magnam statim potu exhibere: esse enim Bezaar omnibus animalibus venenosis commune.

a Gesner. hist. quadruped. de ceruo, litera G. citat hæc ex Gesnero Monardes lib. de lapide Bezoar, ex capite de capra montana, & Fragosus ex capite de capra syluestri: Iordanus de Pestis phænomenis tr. 3. cap. 9. Hebræis, ait, Beluzaar appellatus, ac si dicas dominus veneni, cùm Baal, & Bel, dominum illis significet, vnde Beli regum denominatio apud Chaldæos. *b* Serapio libr. de temp. simpl. cap. 386. & ex eo Pandect. cap. 396. Ianuensis in claue sanit. Raby Moyses de ven. tract. 1. cap. 3. & ex hoc Arduynus 1. de ven. 9. & 10. Schnebergerus. *c* Io. Agricola de recens inuent. medic. litera B. Rheginus, & ex hoc Hen. à Bra. *d* Sic & VVittichius: Salmuth in Pancirol. & Syluaticus. *e* Bodinus lib. 2. sui Theatri. *f* Pet. de Apano de venen. cap. 82. edit. in 8. *g* Auctori notar. in Garz arom. histor. & Rabi Moysi de ven. tr. 1. cap. 3. & Ardoyno 1. de ven. 9. Bezaart. *h* de temp. simp. cap. 386. & ex eo Nic. Florentinus. *i* lib. 4. fen. 6. tract. 2. cap. 12. k Auctor notar. in Garzian. *l* lib. 2. diuis. cap 141. & lib. 8. ad Almansorem, cap. 11. 14. 15. *m* in claue sanitatis: & Costæus in antiquor. Arabic. nominum exposit. apud Auic. & Ch. Acosta. *n* 5. collect. 23. *o* Matth. Syluaticus cap. 96. Bezachar, id est omnis medicina simplex, contra venenum. Bezaar, id est lapis viridis, qui valet contra venenum. & cap. 440. *p* exercit. 184. & Iordanus de Peste tractat. 3. cap. 9. Gabelchofer; Lonicer. Bezoar; Bezaar, & Bezahardt nomen est Arabicum & Persicum. *q* de dosibus theriac. & ex eo Schillerus de Peste Britan. sect. 2. cap. 7. & Penotus in Præfatione denarij. *r* in indice definitionũ medic. *s* lib. 2. nouiter repert. tit. 3. *t* in claue sanitatis. *u* Matth. Syluat. cap. 96 *x* Arduynus 1. de ven. 10. *y* 5. canon. in prima descript Ther. prout eius interpres exposuit. *z* In Arabicorum nominum interpret. apud Auicen. *aa* Bellunensis lib. de lapid. ex eo Gesn. de quadru-

quadruped. Monardes, & Henricus à Bra: omnis medicina simplex contra venenum, Pandect.cap.96 Theriacales, & Bezoarticæ, Rabi Moyses de ven.tr.1 cap.3. & ex eo Arduynus 1.de ven.9.in cura veneni in genere: Scaliger.exer. 184. *bb* Lib.2.tract.1.cap.4. & l.4.fen.6.tract.1.sum.2. cap.1.& ex eo Capeuaccius lib.de venen.cap.4. *cc* 2.de venen.14. *dd* Iordanus tractat.3.cap.9 Gabelchouer. *ee* 5 facul.simplic.18. Paræus lib.20.cap.36. Capeuac. de venen.4. Mercurial.2.comp.med.23. *ff* in epidem. andit.cap.6. *gg* alia tamen nominis fuit explicatio, Gale.5. simpl.8.monente: ea enim quæ venenatarum bestiarum ictus aut venena sanant, Alexiteria nominantur: quæ verò deleteriis medentur, Alexipharmaca. *hh* in claue sanitatis. *ii* 5.collect.23. kk secundo can.tr.1.cap.4. & Arduynus lib.1.de ven.cap.10. *ll* lib.1.de viribus cordis. *mm* 9.simpl. & ex eo Augenius epist. tomo 3. lib.4. epist. 10. *nn* Guagnerius tract.de ven.cap.3. *oo* de ven.tr.1. cap.3. ex eo Arduynus 1.de ven.cap.9. *pp* tract.de ven. cap.9.& Forestus lib.30.in Schol.obs.11. *qq* Arduynus 1.de ven.10. Schneberg.in cat.medic. *rr* de temper.simplic.cap.386 ex eo Nicol. Florentinus. Encelius lib.3. de lapid.cap.49.& ex eo Schnebergerus. *ss* Petrus de Abano lib de ven. cap.82. edit.in fol. *tt* Francis. Vallesius de sacra Philosophia, cap.75. *uu* lib.4.fen.6.tr.1.sum.2.cap. 1.vide etiam tract.2.cap.12. *xx* cap.9. *yy* 2.sui can.tr. 2.de coagulo. *zz* de Abano.lib.de ven.cap.50.51.53.54. 55.& 56. *aaa* tract.de ven.cap.9. *bbb* de temper.simpl. cap.386. idem, sed paucis verbis mutatis ex Serapione & Rhasi, recitat Marsilius Ficinus in antidot. epidem.cap.24. *ccc* in specie significat lapidem, qui generatur in oculis ceruorum. *ddd* Sic etiam Arduynus lib.1.cap.10.qui addit, prout aliq.asseruerunt auctores, in 8.& 9.c.allegatis. *eee* in antid.Epidem.cap.24.& Schneberg. *fff* Ficinus addit, ad extrà: Schnebergerus, ad dextram. *ggg* in expositione antiquarum Arab. vocum apud Auicen. edition. Costæi. *hhh* temper.simpl.cap.386. *iii* Auctor notarum in Garziæ aromat.hist. kkk exercit.184 *lll* in claue sanitatis. *mmm* in antid.Epid.cap.24. *nnn* lib.7.de subtilit. & ex eo Thom.Iordan de Pestis phœnom. tr.3. cap.9. & Gabelchouer. in Baccium. *ooo* exercitation.158 dist.6. *ppp* negat Paræus lib.20 cap.36. *qqq* lib.30.Schol.obser. 11. *rrr* tract.de ven.cap.9.

DE

DE DIFFERENTIIS.

CAPVT II.

MEdicamẽtorum Bezoardicorũ classem triplicem esse, præcedenti capite ostensum fuit; verùm de iis tantùm, quæ tertiæ classis sunt, sermo erit, maximè verò de eo medicamento, quod hoc seculo per excellentiam, tanquam remedium cõtra omnia venena certissimum, id nominis obtinuit, & Lapidis Bezaar nomine in Magnatum scriniis asseruatur. Quare vni'ne, an pluribus hoc nomen tribuatur; &, vtrum differentiæ aliquot dentur, inquirendum erit.

Diligenter ergo auctores perlegenti, & quæ ab ipsis de lapide hoc proposita, perpendenti, perspicuum fiet, nõ vni lapidi, sed pluribus nomen hoc impositum esse. Alii *a* namque, lapidem in capite animalis genitum, exhibent: alii *b*, eum qui ex vesicula fellea hystricis eximitur: alii *c*, metallicum seu minerale faciunt: alii, ex lacrymis *d* cerui condensatis, sed in Oriente, natum asserunt: alii, in angulis oculorum quorundam *e* arietum in Oriente reperiri volunt: alii denique, in animalis corpore genitũ, indeque extractum, proponunt; sed de loco, in quo generetur, non convenit inter hos, vt pleniùs suo loco ostensuri sumus. Sic Bezaardico lapidi similem in corde *f* cerui, in ceruæ *g* ventriculo, & intestinis reperiri nonnulli volunt: imò in equi *h* & ventriculo, & intestinis: plerique

rique tamen vſitatum nunc lapidem Bezaar, ex ventriculo animalis caprę hircóue ſimili extrahi, conſtanter affirmant.

Sed rurſus & hic, qui ex cauitate animalis hirco capræ've ſimili habetur, non ſolùm ratione figuræ, coloris, magnitudinis, & ſubſtantiæ differentias ſuas obtinet, verùm etiam ratione loci natalitii, cùm alius ex India Orientali, alius ex India Occidentali, ſiue Peru, alius denique *i* ex Hiſpaniola adferatur: de quibus omnibus ſingillatim acturi ſumus.

a Scaliger exerc. 153. num. 7. ex hoc Schenckius lib 7. obſer. cap. de Alexiphar. Ferdinand. Lopez. lib. 1. hiſt. Indicæ, & ex hoc C. Cluſius ad Garziam lib. 1. cap. 46 & VVittichius tr. de Bezoard. cap. 4. *b* Garzias lib. 1. arom. cap. 46. ex eo Schenckius, VVittichius, Sarracenus de Peſte, C. Cluſius in Garziam. Saxonia lib. de plica, ſolum nominat. *c* Bellunenſis lib. de lapidib. & ex eo Geſner. lib. 1. de quadrup. Monardes lib. proprio: à Bra, lib. 1. cap. 2. Saxonia de febribus, cap. 37. *d* quinam ſint, vide capite proprio. *e* Rabi Moyſes de venen. tract. 1. cap. 3. & ex eo Arduynus 1. de ven. 9. *f* Iordanus de Peſte, tr. 3. cap. 9. Crato Epiſt. 160. *g* Encelius lib. 3. de lapidibus, cap. 49. *h* Iordanus de peſte tr. 3. cap. 9. *i* Chriſtophorus A Coſta: Saxonia de febribus cap. 37. VVittichius tract. de Bezoardicis. Nicol. Monardes de Orientali egit libro proprio, de Occidentali verò, lib. aromatum.

DE

DE LAPIDE PAXAR, EX CAPITE ANIMALIS EXEMpti, de lapide Aſpidis & Buffonis.

CAPVT III.

QVemadmodum in corpore humano, ſiue paruo mundo, nulla penè pars eſt, *a* in qua non lapides vel geniti ſint, vel generari poſsint, non ſecùs, quàm in magno mundo fieri conſueuit; ſic vix vllum eſt *b* animal, ſiue quadrupes ſit, ſiue bipes, pedibúſue careat, in quo non & lapides reperiantur, quibus omnibus vſus aliquis ab auctoribus adſcribitur, & in hoc, vel illo morbo ſalutares prædicantur: nobis tantùm de iis, qui contra venena commendantur, ſermo erit.

Lapis ergò Paxar dictus primò occurrit, à Iul. Cæſare Scaligero *c* deſcriptus: in regno Deli lapis, qui Paxar dicitur, in capite cuiuſdam animalis inuenitur (quod animal ab Indis Bugoldalf appellari Ferdinandus Lopez *d* teſtatur, ipſe lapis Bulgolda, Boëtio dicitur) qui mollis eſt, fuſci coloris, amygdali magnitudine (auellanæ, rarus admodum, addit Lopez) qui certa vtilitate ad omnia venena apud incolas in prima commendatione habetur: hæc Scaliger; quem non *d* minore facultate ipſo lapide Bezar, aut Malacenſi præditum eſſe, Lopez aſſerit. Quæ à Scaligero proponuntur, Schenckius *e* etiam refert: quæ verò Lopez recenſuit,

ea C.Clusius *f* inter suas notas retulit, & Wittichius *g* Germanicè exhibuit.

Hic non abs re fuerit meminisse etiam lapidis, in Aspidis *h* capite inuenti. Aspis enim cauda deligata suspensus, & vase aqua pleno subiecto, lapidem euomit, qui (siue suspensus *i* eum euomat, siue dissecto capite is eruatur) inter Alexiteria *i* pestis refertur; & ingestus, & gestatus pestilentiali febri, & venenis ebibitis, aduersatur: qui etiam hydropicorum *h* ventri alligatus, aquam ad se trahit, liberatque. Sic Aspidis linguam in mensa positam, venenum prodere, Vitalis auctor est.

Pari pacto etiam in Buffonis capite *k* lapis (uti volunt) reperitur, quem cum chelonite nonnulli perperam confundunt, qui in nuper natis, aut etiam annotinis, seu ranis rubetis, siue buffonibus vix inueniri potest, sed annosioribus, qui dudum in arundinibus, rubetis've, inter sentes ac vepres delituêre: cuius materia haud dubiè alia non est, quàm ea, quam indies è terra, dum illã hinc indè circumlambunt, contrahunt. Vel, ut Libauius *l*, quibus plus negotii est cum viperis, ac serpentibus, aut quibus cibus aptior suppetit, & locus calidior euocat, colligit, coagulatque, & solidat istam materiam, perinde vt fit in articulis Arthriticorum. Huic & sua est gloria, cùm omnes ferè præstantissimum, & efficacissimum ad pestem auxilium esse, asserant: quare etiam contra *m* venena commendatur: imò sunt, qui lapidem hunc gesta-

tum

tum *n*, à venenis tutos præstare asserant. Sic & suo *o* contactu, & blando attritu, inflationes à venenatis bestiis discutere, ac virus omne elicere. Vnde si sorex, aranea, scarabei, vespæ, glires, aut aliud animal venenatū parti alicui damnū intulerit, lapide eo admoto, dolorem mitescere, tumorem omnem subsidere, multoties se expertum, Lemnius testatur. Quare sunt *p* qui lapidem hunc in veneni præsentia, varium effici asserant; hinc Albertus in suo de mineralibus tractatu, de lapidibus pretiosis inquit, legisse se in quodam libello de isto lapide, quem Crepaudinam vocitent, & virtutes describendo omne venenum manifestare, si annulo aureo (vel *q* argenteo) versus carnem perforato, includatur, & digito ita gestetur, vt carnem *r* attingere possit, tunc veneno præsente, tantam caliditatem *r* in digito sentiri, vt necesse sit, annulum abiicere. Refert Heurnius *q*, cùm iter per Arduennam syluam faceret, vix fœminam se vidisse, quæ non talem annulum argenteum gestaret: quod & nostris satis familiare est. Huius duas *s* species faciunt; alterum album, qui melior & rarò inuenitur: alterum nigrum, fuscum cum cæruleo colore, qui in medio similitudinem oculi habet, & ex Buffone mortuo adhuc palpitante extrahi debet: & hi meliores existunt his, qui extrahuntur post diuturnam moram sub terra. Hi in veneno mirabilem virtutem habēt: nam cùm quis venenum sumpserit, hunc deglutiat: qui deglutitus intestina circumit, venenosam

qualitatem inteſtinis impreſſam, extinguit, & per ſeceſſum exit, ac reſeruari poteſt. Huc & Draconites *t* referri poteſt, qui & dentrites, aut Draconius, vel Obſianus, *u* etiam Kimedius veſpertinus vocatur, quem in Draconum capitibus reperiri volunt, qui venena, & maximè ſerpentum fugare fertur.

a Vide Ioan. Kentmanni libellum dé calculis. Item Schenckii lythogeneſiam. *b* in capite Gamari, Cinœdi piſcis, in Tuburonibus piſcibus Indici maris: In rubetarum ſeniorum capite: in prægrandium Lacertarum ventriculis, Caymanus dictis: Draconites, in capite Draconis; Chelonites, in capite teſtudinis: Chelidonius, in ventre hirundinum: Alectorius, in ventriculo galli: in Cyprino, in perca piſcibus, &c. *c* contra Cardanum exerc. 153. num. 7. *d* lib. 1. hiſt. Indic. ex quo Boëtius lib. 2. de gem. cap. 183. *e* lib. 7. obſer. cap. de Alexipharm. *f* ad Garziam libr. 1. capit. 46. *g* ſui tract. de Bezoardicis capit. 4. *h* Fumanellus in ſerm. de Peſtis curat. cap. 6. *i* Fumanellus: Sarracenus com. de peſte. Sic Libauius part. 2. lib. 2. batrach. in Schol. cap. 22. narrat, & Hydram, dum excoriatur, euomere in capite geſtatam gemmam. k Sarracenus de peſte: in capite ſeniorum Rubetarum: Bodinus lib. 2. Theatri: Boëtius lib. de lapid. & gem. 2. cap. 149. pro nugis habet quod de bufonio lapide; eiusque origine traditur: eumque ad lapides ſtellares obſcuriores reduci poſſe, & qui in agris reperiatur, ſtatuit. *l* parte 4. in Schol. cap. 22. *m* Bodinus lib. 2. ſui theatri. Adam Lonicerus. *n* Henric Rantzouius: Hortus ſanitatis: Henric. à Bra. *o* Lemnius. Henr. à Bra. *p* Guil Gratarolus. Foreſtus lib. 30 obſ. 3. *q* Heurnius de peſte. *r* Gratarolus, Foreſtus, Heurnius, Baldus Angelus lib. de Vipera cap. 31. *ſ* Camillus Leonardus in ſpeculo lapidum lib. 2. lit. B. *t* Foreſtus de venenis lib. 30. obſ. 3. Boëtius 2. lib. de gem. cap. 172. *u* Camillus loco citato.

DE LAPIDE MALACENSI EX VESICA FELLEA hyſtricis exempto.

CAPVT IIII.

IN Pan regni Malacenſis Indiæ Orientalis prouincia, eaque ſola, in Hyſtricis *a* felle, vel veſicula fellea *b* porci, lapis reperitur, cuius color dilutioris purpuræ, qui tangenti læuis, & lubricus, Gallici *c* ſaponis inſtar, guſtu amarus, quem venenis vnicè reſiſtere, Garzias *d* ab horto, & Linſcottus, affirmant: cuius facultates, Garzia teſtante, Dimas Boſque, Valentinus Medicus inſignis, experimento in duobus viris, qui venenum hauſerant, comprobauit; aqua, in qua lapis aliquandiu maceratus erat, exhibita, & & quidem in aqua *e* vulgari (cùm aqua cordialis deeſſet, & periculum in mora foret) macerato: qua propinata, etſi guſtu quidem amara fuerit, ventriculum eorum corroborauit, & venenum nihil obfuit. Et Linſcottus aſſerit, hanc efficaciam, crebris & domeſticis experimentis iam vulgò notiſsimam, & confirmatiſsimam eſſe. Addit Garzias *f* apud indigenas tanta in æſtimatione, ob raritatem, eſſe, vt è duobus, qui ſimul ſuo tempore fuerint reperti, alter pro ingenti munere ad eum, qui pro Rege Luſitaniæ Indiam gubernabat, miſſus fuerit; & licet iſtic Bezar frequens inueniatur, hic tamen ab incolis, cùm rarius inueniatur, longè præfertur *g*.

Et Linſcottus aſſerit, in crebris cõmerciis iſtic eſſe, eumque contra venena, & morbos venenatos, Bezoartico longè præſtantiorem exiſtimari.

Sed cùm lapidem hunc C. Cluſius *h* clarius propoſuerit, eius verba ſubiungere lubet. Anno 1603. oſtendebatur mihi lapillus planus, vnguis humani digiti magnitudinem non ſuperans, læuis, coloris ex cineraceo candicantis, paruis quibuſdam rubiginoſis maculis aſperſis, qui glaber & lubricus erat, Gallici ſaponis inſtar, quem aduerſus venena valdè commendabant, imò etiam lapidi Bezahari præferebant. Illum ex Orientali India recenter allatum ferebant, & Maſtica de Soho, (lapidem porcinum interpretabantur) appellari dicebant. Luſitanis *i* Pedra de porco dictus, & vt Boetius, aliqui lapidem hunc porcinum eſſe putant: quare Linſcottus, *k* in felle porci inueniri tradit. Sarracenus *l*, qui triplicem lapidem Bezoar propoſuit, eum qui ex Perſide, eum qui ex lacryma cerui, & hunc quem ſecundum fecit, & ex Garzia deſcripſit, aſſerit, è felle hyſtricis, non promiſcuè cuiuſuis, nec ſemper, ſed interdum eximi, qui egregiè, ac propè miraculi inſtar venenis omnibus reſiſtat.

Saxonia *m*, poſtquam de lapide Bezoar egiſſet, cauſſamque addidiſſet, cur parui faceret, ſubiungit: quod dixi de Bezoar, idem dictum volo de Malacenſi lapide: nam ſi quod celebrius eſt, non iuuat, neque iuuabit minus celebre: tutius atque

atque efficacius puto esse, medicamentum ex cornibus paratum.

Sic & in aliorum animalium cysti fellis (non secus quàm hominis) lapides quandoque reperiuntur, ochræ colore, seu obscurè flauo, qui ex crassiore & terrestri bilis portione, prorsus eodem modo quo lapis Bezoar, crustis se inuicem complectentibus coalescit: qui, vt refert Boetius *n*, valet ad Venena, præsertim ille qui ex boum cisti exemptus est, qui ruffi coloris & friabilis, Gesnero *o*: verùm ad venena, præfert eum qui ex ceruis, capris, aut aliis animalibus quæ in montibus salutiferis herbis pascuntur, eruitur. Præterea, lapidem in cisti fellis Boum repertum, Alcheron à nonnullis vocari asserit: Matthęus Syluaticus *p* verò, Arabica dialecto aliquibus Guers & Massatum dici scribit: at Bodino *q* auctore, à Iudæis in Asia, Haraczin, & Arabicè, Scaligero *r* teste, Harathzi, dicitur.

Lapis autem hic, ad morbum regium, siue Icteritiam valet, vt Moyses Kimhi *s* scriptum reliquit: quare Iudæi, qui hoc morbi genere grauius quàm cæteri vexantur, lapidem hunc à laniis diligentissimè requirunt. Lapilli, scribit *t* Schwenckfeldius, qui in folliculo fellis nascuntur, quandoque crocei coloris, friabiles, poti vesicæ calculos comminuunt, icteritiæ medentur, & triti & betæ succo immisti, in errhinis comitialibus subueniunt, & visum mirificè acuunt: sic lapis qui in vesica tauri aliquando reperitur, si puluerisatus, vel per se, vel cum succo rutæ à

naribus attrahatur, caput purgat. Verùm Boëtio *n*, contuſus, ac naribus inditus, viſum acuit, ac fluxus ne in oculos fluant, prohibet. Subiungit ex aliorum ſententia, lentis magnitudine cum ſucco Betæ naribus inditum, Epilepticos paroxyſmos in poſterum prohibere. Exiſtimarem, addit, ad aluum deturbandam aptiorem, quod bilis ex qua coaluit, huic ſcopo à natura deſtinata ſit.

Contraria eſt Cæſalpini *u* ſententia, qui tradit, lapides in animalium viuentium renibus & veſica, & aliis partibus præter naturam gigni, cùm non niſi morboſis contingat ex vrinæ ſedimento, in renibus aut veſica condenſato; aliquando ex fellis craſſitie in eius veſica, qui crocei ſunt, aut ſubuirides: at nullos, addit, ex his ad medicinæ vſum aſſumptos eſſe.

a Garzias, Sarracenus, Boëtius lib. 2. de lapid. & gem. cap. 182. Lapis Malacenſis ex felle hyſtricis, plura non habet Libauius parte 3. in Schol. cap. 26. *b* Linſcottus, & ex eo Arthus. *c* Saponem Venetum vertit VVittich. lubricus vt ſapo, Cæſalp. *d* lib. 1. arom. Ind. cap. 46. idem & Fragoſus: Linſcottus, & ex eo Salmuth: huius meminit etiam Cæſalp. 2. metall. cap. 46. Linſcott. & ex eo Arthus, coloris limpidi rubei, ſaporis amariuſculi, contactu ſaponem Gallicanum exhibens. *e* Lapidem cyatho aquæ iniiciunt, quo poſt aliquod tempus exempto, aqua amaritudinem contrahit, omnemque veneni vim tollit, vt experimentis cognitum eſt, Linſcottus. *f* & ex eo Salmuth, & Fragoſ. *g* hæc ex Garzia, Schenckius lib. 7. obſ. cap. de alexipharm. & VVittichius in ſuo lib. Germ. de Bezoardicis: item Fragoſ. *h* in notis ad Garziam lib. 1. cap. 46. *i* in margine ad Fragoſum: Linſcott. & ex eo Arthus. *k* cap. 87. ſuæ nauigat. *l* com. de Peſte. *m* lib. de plica. cap. 59. *n* lib. 2. de gem. cap. 195. *o* de fig. lapid. cap. 12.

p cap.521. meminit quoque Gesn.lib.1.de quadrup. cap. de Boue, lit.G. *q* lib.2.sui theatr. *r* de subtilit. exerc. 125. *s* in suis comment. de eodem lege Auicennam in vltimo ex quatuor illis capitibus quæ eius libro secundo Bellunensis proposuit, vbi & descriptionem eius, & ex eo remedia ponit. *t* in theriotrophio pag.64.&72. *u* lib. 2.de metall.cap.46.

DE LAPIDE BEZAAR METALLICO SIVE MINERALI Serapionis, Rabi Moysis, & Cæsalpini.

CAPVT V.

LApidem Bezaarem metallicum esse, eademque ratione, qua reliqui lapides Adamantes, Rubini, Smaragdi, Achates, ex suis venis erui, Andreas *a* Bellunensis, ex Tiphthasi Arabis de gemmis libello, refert. Cuius sententiæ Serapionem *b* quoque fuisse, sunt qui ex his ipsius verbis eliciant: Et minera eius est in terris Syri*c* & Indiæ, & in terris Orientis. Quæ cùm apud Serapionem, Paulus Cigalinus *d* legisset, censuit, Serapionem nomine lapidis deceptum esse, quem ex mineris erui, sibi persuaserit.

Verùm cũ inter metallicas mineras, & ventrem animalis, ex quo lapis hic erui communiter creditur, nulla sit similitudo; & Serapio in lapidibus describendis satis diligens fuerit, aliter difficultatem hanc tolli posse, Io. Baptista Syluaticus *e* censuit: vtpote Serapionem ea in parte, non solùm de Medicinis quæ ex metalli-

cis mineris desumuntur, sed etiam de iis, quæ ex lutis, & lapidibus sumuntur, egisse; quod ipsius titulus manifestè demonstret, qui sic habeat: incipit Tractatus de Medicinis, quæ sumuntur ex mineris, & ex lapidibus, & ex lutis, & sunt quadraginta tres medicinæ. In eadem deinde tractatus parte, Hager albato, id est margaritas; Hager achtamach, id est, lapidem aquilæ, & Teri armeni, id est lutum armenum contineri, eorum essentias & facultates describi, quæ certè ex metallicis mineris colligi, nullus ne quidem existimauerit.

Sed cùm Mineralium communis distinctio sit, vt alia sint Metalla, vel à Metallis sumpta; alia lapides, vel à lapidibus, vt lapis Armenus, Iudaicus, Lazuli, Lyncis: alia à venis terræ, vt terra sigillata, lutum armenum, alumẽ: alia sal, vel à sale, vt sal commune, sal gemmæ, dubitari potest, sufficientérne Serapio sit defensus. Quare aliam solutionem cum eodem *e* subiungemus, quòd videlicet vocabulo mineræ metaphoricè sit vsus, eo modo, quo Medici frequenter vtuntur, dum huius aut illius morbi mineram, in hac vel illa parte residere, asserunt: vt exempli gratia, dum putredinis febrem facientis minerá, in venis esse dicunt. Hoc ex sequenti capite *f* probari potest, vbi de lapide Aquilæ hunc in modum scribit: & minera eius est in montibus Indiæ inter Chimonas, & Sarandin: nemo tamen dixerit, lapidem hunc ex metallicis mineris erui. Quòd si hæc difficultatem non

tollunt,

tollunt, illud certè satisfaciet, Arabicā linguam nobis non esse notam, Serapionisque interpretem potuisse errare. Quare concludentes, censemus sententiam erroneam esse, dicere, lapidē Bezaar metallicum esse: insuper statuimus, Serapionem nil aliud voluisse, quàm regionem & locum nativum huius lapidis significare.

At Rabi Moyses *g* alterius Albezaar mineralis Ægyptiaci meminit, cuius nullus sit in morsibus Scorpionum vsus; verba eius lubet subiicere: Verum Bezaar minerale *h*, est lapis in regione Ægypti in rupibus eius repertus, pluriū & diuersorum colorum, de quo priores in libris suis asserunt multa mira, nihil tamen ex eis est per experientiam approbatum. Ego *i* autem pluries expertus sum, omnes species lapidum, in mineris, & saxis apud nos repertorum, in morsibus Scorpionum, & nihil penitùs profecerunt.

Legitur etiam apud Cæsalpinum *k*, de quodam Bezaar instar aluminis scissilis filamentosi: ita namque scribit: Bezaar principale remedium contra Napellum, & medicina de Moscho, & Algeduar, id est Zedoaria. Ex Bezaar, illud præcipuè genus, quod filamenta habet, vt Alumen scissile, hæc ille. Quæ ex Auicenna *l* haud dubiè desumpsit, qui in cura Napelli, inter alia hæc habet: & existimant quidam, quòd radices Capparum sunt Bezahar Napelli: & omnia Albezahard sunt bona ei: & propriè illud, quod similatur alumini, & habet fila, sicut fila

lythar-

lythargyrii. Et Libauius *m* inter mineralia Bezoare recenset; & alibi *n* inquit, Bezar lapis dicitur, at est bulla potiùs, quàm lapis: alibi *o* gemmam ex animali vocat Bezar.

a lib quem de lapidibus inscripsit: ex eo Gesnerus lib. 1. de quadrup. in historia cerui, cap. 3. qui Tiphasi legit: Nicol. Monardes lib. de Bezoar. Her..à Bra, de simpl contra venena lib. 1. cap. 2. *b* lib. de temp. simpl. cap. 386. Sic Fragosus, alii sentiunt esse minerale quiddam, ut Serapio. *c* Syriæ, legit Pandectarius. *d* in tract. de febribus, & ex eo Syluaticus lib. de Bezaar. *e* tract. de lapide Bezaardico. p. 79. *f* cap. 392. *g* lib. de venen. tract. 1. cap. 3. & ex eo Arduynus 1. de venen. 9. & 10. & Monardes de lapide Bezaar. *h* metallicus, legit Monardes. *i* Nam periculum feci, & nullam vtilitatem adferre, deprehendi, sic legit Monardes. k in sua praxi cap. 20. *l* lib. 4. fen. 6. tract. 1. sum. 2. cap. 1. *m* lib. 5. de succino in Schol. cap. 7. *n* in Schol. cap. 11. *o* in Schol. cap. 16.

DE BEZOARE MINERALI SAXONIÆ.

CAPVT VI.

CVm excellentissimus Hercules Saxonia, in suo de Plica libro, Bezoaris mineralis etiā mentionē faciat: huius historia, præmissis tamen priùs ipsius verbis, subiungenda. In classe, scribit, præseruantium à veneno sunt Terræ variæ, vt bolus Armena, Terra Lemnia, Samia, Selinusia, & quæ nunc Silesiaca vocatur, atque alia Pedemontana, quam Bezoar minerale vocant: puto autem mixtam esse ex Samia & bolo Armena.

Hæc cùm legissem, & dubius essem, quid sibi Saxonia vellet, Veronā ad D. Io. Ponam Pharmaco-

macopæum præſtantiſsimum, rerumq́ue naturalium indagatorem ſolertiſsimum, amicum ſingularem perſcripſi, & quid eſſet, inquiſiui: is pro ſingulari ſua humanitate, Bezoar hoc, quod terræ potiùs vel boli, quàm lapidis, nomen meretur, ad me miſit, Terram, inquam, præparatam, & non præparatam, & quidem triplici differentia: primam, colore rhabarbari: alteram, colore vini rubri, & tertiam, coloris albi. Addidit inſuper ſchedam Italico idiomate cuſam, de huius terræ viribus, quam Latinam reddere, & hoc loco ſubiicere voluimus, quo & Germanis huius terræ vis (licet ſimiles quoque terras, & quidem diuerſas habeant) innoteſcat. Titulus ita habet: Enarratio virium terræ cuiuſdã Medicæ ad vrbem Italis Mondoui, id eſt, montem Regalem dictam, inuentæ: additis notis, quibus bona, aut genuina cognoſci poſsit.

Inter plurima beneficia, à diuina bonitate vrbi Montiregali conceſſa, neutiquam poſtremo loco haberi debet Terra tam pretioſa, & vtilis, qua iam à multis annis vtuntur, quæ ex collibus, templo Sanctiſsimæ Virgini à vico ſacro, vicinis effoditur: cuius virtutes excellentes, non modò eiuſdem vrbis Medici, verùm etiam præcipuarum vrbium Italiæ longa experientia comprobarunt. Quare vtile cenſuerunt, ſi boni publici cauſa huius vires, & notæ, quibus optima cognoſci poteſt, ſcripto proponerentur, quo huius, præſertim tempore hoc contagioſo, vſus eſſe poſsit.

Sunt verò huius terræ multæ ſpecies, & optima ea habetur, quæ colorem Rhabarbaro optimo ſimilem obtinet; at cùm hæc inuentu difficilis ſit, proxima eſt alba, hancque ſequitur, quæ vini colorem refert. Bona ſi dici mereatur, leuis ſit & mollis, linguæ glutinis inſtar adhæreſcat, ſucci plena, friabilis, vnctuoſa, ore detenta liqueſcat, maſticata nil arenoſi præ ſe ferat, aquæ impoſita, bullas ad modum calcis bullientis excitet: viliſsima eſt, quæ cruſtis obtecta eſt, ex qua hodie Antiſpodium, in větris fluxu præſtantiſsimum, confici ſolet.

Prior terra, ſi drachmæ vnius pondere cum aqua acetoſæ exhibeatur, in febribus malignis, & peſtiferis, remedium optimum eſt: ſi in febribus cum aqua Meliſſæ die critico propinetur, ſudorem prouocat: contra venena omnia tam aſſumpta, quàm admota, vtiliſsima eſt. Scorpionum ictibus cum oleo & aceto medetur. A peſte præſeruat, & peſte correptos ſanat, ſi quotidiè mane drachma vna aſſumatur.

Inflámationes omnes, ſpeciatim verò, mammarum, & teſticulorum, cum aqua & aceto adhibita, ſedat: cum aqua portulacæ aut graminis epota, lumbricos infantum pellit: omnem fluxum ſanguineum, cum aqua & aceto ſupprimit: ſputo ſanguineo, cum ſaccharo roſato medetur: Contra menſium fluxum nimium, optimum medicamentum: quemadmodum in alui fluore, vt eſt Diarrhœa, Dyſenteria & Lienteria.

Cathar-

Catharros omnes, potiſsimùm à cauſa calida productos, inhibet; vulneribus antiquis, præſertim tibiarum, cum oleo diſſoluta, auxilio eſt. Vomitum ſedat, tam per os ſumpta, quàm foris admota.

Et quia viperarum & aſpidum morſibus, cũ aceto impoſita, medetur: idcircò aliis etiam morſibus applicata vtilis eſſe cenſetur. Ab igne ambuſta, cum oleo commiſta, ſanat: & oris vlceribus putridis medetur: ventriculum corroborat; phthiſicorum vires reſtaurat. Sunt qui in affectibus pectoris, & pleuritide commendent: cum aqua lactis, Gonorrhœæ medetur: & in ſucco ſemperuiui diſſoluta, puſtulas & maculas à Sole contractas, tollit. Inſuper huic terræ varias adhuc vires adſcribunt, quæ vbi experimento comprobatæ fuerint, & ipſæ publici iuris fient.

Huius doſis eſt drachma vna per os ſumpta: at ſi forinſecùs applicetur, quantitas cuiuslibet arbitrio relinquitur.

Eaſdem proprietates, & vires obtinent Terra ſigillata Sereniſsimi magni Ducis Hetruriæ: terra Lemnia Galeni, & Bolus Armenus Orientalis luteus, quod infinitis tam Medicorum, quàm aliorum fide dignorum experimentis, comprobatum eſt. Hactenus ſcheda tranſmiſſa. Plura de hac terra dicere non poſſumus.

DE LAPIDE EX CERVI Lacrymis condenſato.

CAPVT VII.

CVm ex cerui, qui ſerpentes deuorauerit, lacrymis, dum in aqua cõſiſtit, fuſis, iisq́; in lapidis duritiem concretis, Bezaar genitum eſſe, plures velint: lubet inquirere primùm, quo nomine donetur; dein, cur cerui ſerpentes deuorent, & cur aquam ingrediantur, & lacrymas fundant, ex ſententia primùm Philoſophorum, dein Theologorum: tum, ipſius deſcriptionem ſubiungemus: quartò, quis huius lachrymæ concretæ vſus ſit: quintò, quínam hunc pro Bezaare agnoſcant, & qui ſint, qui hunc lapidem in oculorum cerui angulis genitum, à lapide qui ex ventriculo animalis, Hirco ſimili, eximitur, diſtinctum faciant: & tandem, vtrum in ceruo quoque lapis generetur.

Dicitur lacryma *a* cerui: lapis in angulis *b* oculorum cerui; lapis inuentus in oculis *c* ceruorum: lapis ex lachryma *d* cerui concretus: lapis *e* ceruinus: cerui lacryma *f* & ſordes oculorum cerui viroſi odoris, & Bezahar *f* Arabum: lapis *g* Gagacromeon: lapis *h* Kenne: lapis *i* Kemne: Bezehart, Bezahardt *k*: Bezoar *l*: Belzaar: Belzahardt *m*: Belzaharticus *n* lapis: Bezoar *o* ex ceruorum lacryma: Bezaar *p* in oculis cerui genitus: Bezahar propriè *q* lapis, qui dicitur lacryma cerui: Bezoard *r* Arabibus.

Ad al-

Ad alterum, cur ſerpentes deuorent, & lachrymas fundant. Ceruis, vt hinc ordiar, pugnam eſſe cum ſerpentibus, & colubris, Plinius *s* teſtatur, ita vt cauernas inueſtigent, & renitentes narium ſpiritu extrahant, quibus exitio ſunt: cùm, eodem *t* ſcribente, extractos mandant. Et Plutarchus *u* refert, à ceruis ſerpentes facilè rapi: & hinc ἐλάφυ nomen inditum, non à leuitate, verùm à ſerpentis tractione, quæ Græcè ἕλξις dicatur. Ex Plinio id refert probatiſsimus Medicus Auenzoar *x*, exiſtimãs hoc ipſum regium Prophetam Dauidem in Pſalmo *y* innuiſſe, dum dicit: Sicut ceruus deſiderat ad fontes aquarum, ita anima mea deſiderat ad te Domine. Nam poſteaquam ceruus congreſſus eſt cum ſerpentibus in Orientalibus *z* regionibus, (vbi prægrãdes & valdè noxios, ob regionis illius feruoré, reperiri conſtat) & carné ſerpentiũ deuorauit, ſiti correptus, proiicit ſe in pedes, vt ſtagnũ, aut flumen aliquod, in quod ſe immergat, quærat: idq; agit, vt aquę frigiditate ingens calor, quem deuoratis noxiis animalibus cõcepit, téperetur: iſtic perſiſtit, nihil bibendo, donec ingẽs ille calor temperatus, & ſublatus ſit. Quibus immerſus, natura ita docente, velut Tantalus in mediis fluctibus ſitiens, non bibit: nam ſi quid *aa* aquæ deguſtaret, illicò mortuus cõcideret *bb*: interim ex oculis lacrymæ lentè deſtillant *cc*, quæ in oculorũ angulis paulatim craſſeſcũt, coguntur & coagulãtur, atq; in *dd* caſtaneę *ee*, vel glandis *ff* magnitudinem excreſcũt. De-

inde cùm ſeſe veneno exoneratum ſenſerit, à-
quam egreſſus,in latebras diuertit,& vt lapis il-
le viſus *gg* obſtaculum decidat,caput arboribus
affricat; vel vt alii aiunt, è fluminibus *hh* egre-
dieti ab oculis ſtatim in humum decidit: quem
inuentum venatores Siciliæ, & Orientis,vt Be-
zehardt, contra quoduis venenum Antidotum
efficaciſsimum,magni vendunt. Vel vt Agrico-
la *ii*, homines obſeruant, colligunt, & vt rem
pretioſiſsimam inter ceimelia meritò reponũt:
nam hoc eſt illud Belzahard tantę apud eos,qui
habent,æſtimationis,vt cuiuis veneno, vel me-
dium vnguem oſtendât. Quod, teſte amato *kk*,
lacrymam cerui, vel potiùs lapidem Belzahar-
ticum,id eſt lapidem Antidotum appellant:quę
fabuloſa eſſe,Luſitanos,qui multos ex India af-
ferant,aſſerere ſcribit.

Cur autem ſerpentes deuorent,inquiramus:
Euax in ſuo de lapidibus libello *ll* vult, ceruos
in Oriente ſerpentes deuorare,vt ſenium depo-
nant: & vt fortiores fiant, flumen intrare, vbi
morentur immerſi vſque ad caput (anteriorem
enim capitis partem, aquæ non immergunt, vt
reſpirare poſsint) tamdiu, quouſque ſentiant,
virtutem veneni ſuperatam, interea lachrymá
emittere,quæ coagulata in oculis (ſub *mm* pal-
pebris) interdum ad nucis *nn* magnitudinem
deſiccantur, & cadere tum, quando flumen e-
grediuntur, qui repertus venenorum Theriaca
dicatur, & eſſe lapidem multum carum Regi-
bus *oo*. Hæc quoque Simon Ianuenſis *pp* ſub
titulo

titulo Bezard, & Matthæus Syluaticus in pandectis *qq* sub titulo Kenne referunt: addentes, censere aliquos hunc lapidem in oculis ceruorum genitum *rr*. Bezaar elaphinum siue ceruinum, Schwenckfeldius nominat.

Paulò aliter Cardinalis Ponzettus *ss*, agens de simplicibus, venenis resistentibus. Expertum scribit, antidotum quod probant sapientes ad omnia genera veneni, est lapis appellatus Kemne seu Bezar, & habet colorem citri splendentem, & colorem vini, & generatur ex lacrymis ceruorum: nam facti debiles ætate (non dicit, serpētibus deuoratis) intrant quoddam flumen in partibus Orientis, & stant in eo immersi usque ad caput, donec emittant lacrymas, quę ab aquæ & aëris frigiditate coagulantur, & vertuntur in lapidem vsque ad quantitatem auellanæ, vel nucis, qui cadit postquã exeunt ex flumine. Hæc quoque Gesnerus, & Henricus à Bra*tt* ex Ponzetto referunt. Etiamsi, inquit Nancelius, verum hoc esset, tamen vnica lacryma, qualis centenariis ceruis dicitur maiori oculorum cantho concrescere, non potest verè dicere præ fletu excidisse, aut veri fletus nomen mereri. Quam tamẽ quorundam Arabum sententiam, Serapionis, Auenzoaris & aliorum, se in tractatu suo de Peste elusisse scribit: quem librum nondum vidimus.

Ceruos serpentes deuorare volunt, ut iuuenescant, diuturnæ cùm sint vitæ, & ceruis longæuitas inter omnia animantia præcipua sit.

Scribit enim cum Hesiodo, Oppianus, ceruum viuere χρόνον τετρακόρωνον, siue quatuor cornicis ætates: & Plinius *uu* centesimum annum superare affirmat: vt & Iuuenalis *xx*. Verùm Hesiodus, referente Plinio *yy*, multa de hominum æuo referens, cornici nouem nostras attribuit ætates, quadruplum eius ceruis, id triplicatũ coruis: & Plutarchus de oraculorum defectu, cerui ætatem his Hesiodi verbis expressit:

Secla viri nouies pubentis garrula cornix
Vincit, cornicis ceruus quater, at tria cerui
Tempora coruus agit, quem deinceps Indica phœnix
Egreditur nouies, at vos natæ Iouis alti
Pulchricomæ decies superatis secula nymphæ.

Et licet Aristoteles *zz*, & ex eo Plinius *uu* senes duplici indicio cognosci referat; altero, quod dentes aut nullos, aut paucos habent: altero, quod adminiculis careant: (vocantur adminicula rami, qui imis cornibus ante frontem prominent, quibus iuniores in pugna vtuntur, senes autem carent) attamen ad eorum ætatem dignoscendam, Alexander Magnus, torques plurimis ceruis innexuit, qui post annũ centesimum capti in magna obesitate, nec dum senii indicium præferebant, vt memorãt Solinus *aaa*, Plinius, & ex iis Simon Maiolus *bbb*. Fecisse idipsum & Cæsarem putarunt, nam annis iam abhinc exactis supra ducentos, cùm Carolus Galliarum Rex, Syluanectum se contulisset, canum latratibus ceruus in fugam excitatus, torquem æneam collo gerens inuentus est, quem ferro

Rex

Rex peti, vetuit; tandem retibus captus est: erat in torque literis Latinis scriptum: Hoc me Cæsar donauit: interpretantibus nonnullis, id de C.Iul.Cæs. intelligi non posse, alii responderunt, quod vltra mille annos cerui eius ætas fuisset protensa: quod longissimè à verisimili abesset. Alii igitur Imperatori id adscribendum fuit. Hæc Guaguinus annalibus Gallicis *ccc* annotauit.

Verùm magis placet Theomnesti *ddd* grauis veterinariorum medicinæ auctoris opinio, scribentis, Ceruos vermes intestinorum inuolucris implicitos (qui *eee* in senio confectis generentur) serpentum esu, quos ex cauernis narium spiritu eliciant, enecare: & ne virus illorum ipsis obsit, ad fontes aquarum accelerare, quibus ad labra vsque se immergant: tum oculis lacrymas lentè destillare, quæ viscedine sua coagulatæ, in angulis oculorum *fff* in lacrymas nucis iuglandis pondere coalescant, &c. quæ etiam Langius *ggg* & ex hoc Schenckius *hhh*, & Heurnius *iii* habent: leguntur quoque apud Lonicerum, Mizaldum, & ex hoc apud Weckerum *kkk*, Spachium *lll*, à Bra *mmm*, & Wittichium, qui addit, Fallopium figmentum dicere.

Quis queso dubitabit, in intestinis ceruorum vermes reperiri, cùm etiam in ipsorum capitibus aliquando repertos proditum sit. Sic enim Aristoteles *nnn*, Vermes cerui continent omnes suo in capite viuos, qui nasci solent sub lingua

in concauo, & circa vertebram, vbi caput ceruici nectitur, magnitudine haud minores iis vermibus, quos maximos carnes putres ediderint: gigni vniuersi, atque contigui solent, numero adeò circiter viginti. Et Plinius *ooo*, ceruis in capite esse vermiculos, sub linguæ inanitate, & circa articulum, qua caput iungitur humero, numero viginti, asserit.

Testatur Cõradus Heresbachius in suo Thereutices compendio, se mense Maio in Menapiis vidisse ceruum exenterari, cuius caput succisis cornibus, apertoque cranio pollicaribus vermibus, pręter capita rubra, albicantibus, scatebat.

Sed Christophorus Encelius *ppp* aliam caussam reddit, tempusque quando id fiat, his verbis describit: In Oriente ceruus verno tempore serpentum cauernas inuestigat, nariumque spiritu extrahit renitentes, eosque comedit, vt ita annuum tædium purget, moxque aquas & flumina petit, quibus se mergit ad ipsum caput, tamdiu quousque sentiat superatam vim veneni: interea lacrymas emittit oculis vi veneni, quæ coagulatæ penes oculos desiccantur, & decidunt: Hæ lacrymæ coagulatæ, sunt Bezoar contra omnia venena, &c.

Claudius Richardus *qqq* facilioris concoctionis gratia flumen ingredi, ex aliorum sententia asserit, his verbis: dicunt in illis desertis regionibus, vbi cerui valdè consenuerint, serpentes venari, atq; vbi illorũ plurimos deuorauerint, faci-

facilioris concoctionis gratia, fluminibus & aquis ad collum vſque ad dies aliquot ſeſe continere; quo tempore paulatim incipit lacryma aliqua ex oculis defluere, indurariq; & pedetentim augeri magis & minùs, prout apparet. Et Rulandus *rrr* lapidem Bezoardicum ex conſeneſcentium cervorum, viperis è cauernis rictu prolectis, victitantium, & celerioris concoctionis procurandæ gratia, fluuiorum ad ſummum aquis perfuſorum oculorũ lacrymis proſilientibus & congelaſcentibus naſci, doctorum locupletum nonnulli conteſtantur.

Iam verò licet omnes ſcribant, ceruum deuoratis ſerpentibus in flumine aquam non guſtare; alia tamen vnius Petri Hiſpani *sss* eſt ſententia, ſic ſcribentis: Et iſta via renouant ſuam iuuentutem Aquila & Ceruus, & quædam alia, comedentia huiuſmodi ſerpentes ex inſtinctu naturæ: & quando iſta animalia cœperunt iſta venena, currunt ad aquam, & bibunt tantum de illa aqua, quòd caro illorum inflatur, & extenditur, & fit ſolutio continui, & tunc cadit caro vetus, & noua regeneratur. Quod autem eſus carnis ſerpentum vitam prolonget, docuit Auicenna *ttt*, imò virtutem corroborare, ſenſus & iuuentutem conſeruare. Docuit idem Meſues *uuu*, hominem ex eſu ſerpentis iuueneſcere, hocque à forma ſpecifica ſerpentis fieri.

Theologorum ſententiam ſubnectamus, relicta de ſexu controuerſia, aliis volentibus vocem אַיָּל Aiol, licet maſculinum ſit, in hoc Daui-

dis Pſalmo fœmininum eſſe: quare ceruam reddunt; aliis vocem hanc communis generis ſtatuentibus: aliis denique adſtruentibus, hoc in Pſal. ceruam intelligendam, quia Hebræi peculiare nomen habeant, quo ceruum nominet. Sunt qui velint eſſe propoſitionem vniuerſalis ſtudii, quò ad Deum ferebatur Dauid, quæ illuſtretur per comparationem Cerui, qui ad aquas confugere dicatur, cùm anhelus eſt, maximè ineunte Autumno, quo tempore propter ęſtum ſit ſitis impatientiſsimus, vt voluêre Tremellius, & Iunius. Quare Calvinus, ſimilitudine Cerui, ſummum deſiderii ardorem expreſsiſſe voluit, cui non placet expoſitio ſtatuentium, à ceruis expeti fluuios, vt ex laſsitudine ſe reficiant: fatetur quidem, ſi venator ceruum vrgeat, & canes inſtent, fluminis occurſu nouas vires colligere: ſed conſtare etiam, certis anni tẽporibus, ceruos incredibili ardore plus quàm ſitientes, aquas expetere, quam ſitim Propheta notauit. Sed clariùs Commentatorum alius: hunc ardorem de ſiti interpretatur, agitati à canibus in venatione: vel quod eſt ſimplicius, de ſiti ſimplici in terra calida: aliqui de ſiti, ex deuorato ſerpente: exquiſitiùs Iudæi de ſiti parturientis ceruæ. Fortaſsis & de alio noto æſtu huius generis hoc interpretari licuerit, cupiditate nimirùm ὀχείας ϗ κυήσεως. Quare diſertè Ariſtotelem ſcribere, mares antequam pluuia cadente abluantur, neque à fœtore hircino poſt ὀχείαν contracto liberari, neque ad pabulationem prodire.

dire. Verba Ariſtotelis *xxx* ſubiungere lubet: cùm mares impleuerint fœminas, ſeparantur per ſeipſi, & propter libidinis graueolentiam quiſque ſolitarius ſcrobes fodit: fœtent vt hirci: degunt ita, quouſque imber accedat, tùm paſcua repetunt: fugiunt etiam in aquas διὰ τὸ καῦμα, καὶ τὸ ἆσθμα, id eſt, propter æſtum atque anhelitum. Sed ne falcem in alienam meſſem mittere velle videamur, Diuini Auguſtini, qui hoc ad myſterium trahit, ſententia prolata, concludamus: Serpentes, inquit, necat ceruus, & poſt ſerpentum interemptionem maiori ſiti incaleſcit, peremptis ſerpentibus, ad fontes acriùs currit: Serpentes vitia tua ſunt, conſume ſerpentes iniquitatis, tùm ampliùs deſiderabis fontem veritatis.

At dubitari poſſet, an etiam alibi, quàm in Oriente cerui lacrymas fundant, &, ſi fundant, cur tanto precio lapis Bezaar veniat. Teſtatur Plutarchus *yyy* & Oppianus, ceruos, & apros captos illacrymare, & ceruorum lacrymas ſalſas, aprorum verò dulces eſſe: ſaporis huius diuerſi cauſam, in vtriuſque animalis calorem, & frigus refert, his verbis: Animal frigidum ceruus, ardens verò calore ignis Aper: vnde ille perſecutores fugit, hic verò ira inflammatus, dente atroci ſe vlciſcitur: aper ira inflammatus, copia caloris ſpirituum ad oculos exhalante, ſpiritus in lacrymas eliquat; eiuſque, inquit Xenophon *zzz*, recenter occiſi, dentes adeò feruent, vt crines, ſi quis admoueat, exurat. Aliam quo-

que Empedoclis rationem, de vtriusq; animalis lacrymis, Plutarch. eo loci subiungit. Cur lachrymas fundant, an ex contracto mœrore & ægritudine: an potius ex cerebri repletione, vt in cicuribus, ceruis, & maribus & fœminis obseruetur. Nanzelius *zzzz* dubitat.

Has lacrymas, Scribonius Largus *aaaa* Cæsaris Medicus, sordes appellat: Vt sis, ait, tutus, etiam si quando rus secesseris, ponam Theriacarum compositiones, id est, ad serpẽtum morsus, atque ictus medicamina: sed prius, quæ cognita habui remedia, ne cui serpentes noceant, dicam. Habere ergò in cinctu oportet peucedanum, vel Cerui cùm captus est, in oculi angulo, qui est ad nares versus, quæ inueniuntur sordes virosi odoris (addit Mercurialis *bbbb* quæ senescentibus in formam lapidis durantur) has Siciliæ venatores diligenter colligunt, & habent in cinctu (quod capitis inuolucrum est) propter ante dictam causam. Hæc Scribonius.

Hanc Scribonii sentẽtiam Cardanus *cccc* falsam asserit: lapis, scribit, Pazar, corrupto nomine Bezar, quem Scribonius Largus, quamuis Cæsaris Medicus, falsò scripsit, lacrymam esse ceruorum in Sicilia inuentam, cùm constet in Pely Orientalis Indiæ regione solitam inueniri. Verùm Cardano neutiquam subscribimus, non solùm auctoritatibus, quas subiiciemus, persuasi, verùm quod etiamnum diligenter obseruanti, eiusmodi sordes reperiri certi simus, venatorum testimonio edocti, & oculis propriis fidem facientibus. Ad-

Adſtipulantur ipſe Cardanus (ſui oblitus) Langius, Reuſnerus, Encelius, Scaliger, Sarracenus, & Bodinus. Sic enim Cardanus *dddd*, Galenus commune alexipharmacum non nouit, ſcilicet cerui lacrymam: & mox: celebrantur inter generalia Alexipharmaca, ſordes oculorum cerui, viroſi odoris, quas ſeruant Venatores in Sicilia, ut ait Scribonius: ſed in regionibus calidioribus, & maximè in Africa concreſcunt in lapidem, & hic eſt, qui ab Arabibus Bezahar dicitur, & eum cognouit Auenzoar etiam.

At Langius *eeee*, ex quo Schenckius, aſſerit has ſordes ex patulis infra ceruorum oculos foraminibus erui, & in ſolo papyri inuolucro benè olentes ſe per ſeptennium illibatas ſeruaſſe. Et Reuſnerus *ffff*, eandem, ait *λήμην*, in ceruis deprehendimus, cui natura proximè ſubter oculo oblongum folliculum, oſſe maxillæ illic dehiſcente, affabrè machinata eſt, in qua ſua viſcedine coagulata colliqui queat: vnde etiam eruitur, ſpirans initiò *βρωμῶδές τι*, propemodum ut ſuum iugulatorum tergora, dum ſetæ diripiuntur, ſuperfuſa feruente aqua: proceſſu temporis *εὐωδίαν* acquirit, adeo pertinacem, vt totum ſeptennium illibata poſsit aſſeruari. Non autem nobis ſermo eſt de lapide Bezaar, quem fingunt venatores in Orientalibus, &c.

Verùm ſiue ſordes, ſiue lacrymas dicas, notandum etiam in lapidis duritiem non ſolùm in Oriente, ſed etiam Germania, & aliis re-

gionibus

gionibus concreſcere, licet rarius reperiatur: forſan quòd hactenus venatores ignorátes, nec admoniti, non obſeruarint: vel fortè quòd in annoſis *gggg* tãtùm ceruis, lapidis aliquam conſiſtentiam acquirant: ſiquidẽ Scaliger antę centeſimum annum non fieri aſſerat, cui Bodinus ſubſcribit.

Quòd in Germania ſimile quid obſeruetur, hæc Encelii verba *hhhh* teſtantur: Volunt eas inueniri in Syria, India & Oriente: nos in Germania etiam in noſtris ceruis videmus aliquid penes oculos ſæpè lapideſcere: & materia illa coacta, oſſea quaſi, ex lacrymis proculdubio colligitur à venatoribus, & eſt Bezaar, id eſt, aduerſatur etiam omnibus venenis, propterea magni æſtimari deberet à Principibus.

Bodinus *iiii* ſic exhibuit: Poſt centeſimum annum, in cantho cerui lapideſcit, ex lacryma cerui, cuiuſmodi ceruo cæſo ad me delata eſt, quæ aliquantulum obduruerat, nondum tamen in lapidem planè concreuerat. Idem & Salmuth.

Sarracenus *kkkk* ita ſcribit: Tertius his accedit ad ruborem vergens, durus admodùm, caſtaneę, glandis ve magnitudinem, & formam quadamtenùs referens, lacryma cerui locorum, ac gentium vbique dictus: eum ex doctis plerique centenis annorum conuerſionibus ceruorum oſsibus ad oculorum angulos ſitis, adnaſci exiſtimant. Attamen vero ſimilior probabiliórque eorum, iudicio meo, videtur eſſe ſententia,

qui

qui lentum humorem asseuerāt statis anni temporibus è ceruorum, longo iam senio confectorum & ex aquis emergentium, oculis defluere, qui posteaquam humi deciderit, Solis ardoribus in eiusmodi lapidem tandem aliquando concrescat.

Audiamus Scaligerum *llll* ad Cardanũ: Cerui lacrymam, rem fortasse minùs tibi notam, in nostris Musarum thesauris habemus carissimam: ante centesimum annum in ceruo nulla est, post eam ætatem accrescit ad oculi canthũ ipsis ossibus, atque in os protuberans concrescit, ea duritie, qua cornu superet: qua parte prominet rotunda est, insigni nitore, coloris fului, non sine vestigiis atriorum venularum: tanta lęuitate, vt penè tactum effugiat, ita enim sese subtrahit, vt propemodum seipsam mouere videatur (hęc etiam ex Scaligero exscripsit Schnebergerus.) Cùm hæc (subiungit Scaliger) in circulis aliquando recitarem, vnus ex iis, qui è legatorum comitatu rerum Asiaticarum cognitionem profitebatur, negabat, ad ceruum quidquam attinere, sed esse verè lapidem. Ego illi postridie ostendi, qua parte ex osse fuisset auulsa. Hanc Solimannus olim dederat dono Samblancardo Trierarcho. At ea ego postea eius filii Bernardi Oruesani munificentiam expertus sum. Hæc Scaliger, & ex eo Langius, ex hoc Schenckius: Iordanus, Heurnius, *mmmm* & Salmuth.

Matthiolus commentariis in Diosc. *nnnn* an

lapis

lapis hic detur, dubitat, & an hæc de ceruis narratio, historia an fabula dici mereatur, rerũ naturalium studiosis, & peritioribus se, iudicandũ relinquere, scribit. Et in epistola quadam *oooo* hæc habet, lapidi quem Mauritani Bezahar vocant, plures similes vidi, sed an veri, an adulterini sint, profectò nescio. Sic Reusnerus disertè *pppp*, non nobis sermo est de lapide Bezaar, quem fingunt venatores in Orientalibus terrarum tractibus, maximè verò in Persia, ceruis circa annum ætatis centesimum ad canthum oculi, accrescere ipsis ossibus; atque in os protuberans, coire ea duritie, qua cornu superet, insigni nitore, fului coloris, & tanta læuitate, vt tactum eludat. At Libauius *qqqq* de Bezaare in oculis cerui genito, testatur, quòd etiam annatum deteratur, & instar cornu deciduum sit.

Verùm vt dicam, quod sentio: lacrymas seu sordes obseruari ad angulos oculorum, in ceruis captis, certum est, venatorum testimonio edoctus, & oculis propriis fidem facientibus. An verò ratione motus, & cursus in venatione id contingat, dubito. Posse quoq; progressu temporis illas lacrymas, in sæpius persecutis, & non captis ceruis, vel etiam ex deuoratis serpentibus, & lacrymis, vi veneni protrusis condensari, non negarim, tot fide dignis attestantibus: maximè cùm legamus, totos oculos Hyænę lapidescere: hinc gemmæ Hyæniæ apud Plinium *rrrr* dicuntur. Est autem, Camillo *ſſſſ* auctore, Hyæna preciosus lapis dignus custodia, nomen

sumens

ſumens à beſtia ſui nominis, cùm in oculis eius reperiatur: multorum eſt colorum: huius hæc eſt vtilitas, ſi vera narrantur: Ore abluto, linguæ ſubiiciatur, ſtatim facit vera prædicere: quartanam ac podagram, geſtanti non ſinit euenire.

a Amato Luſitano cent. 3. cur. 74. Andernaco de vet. & noua medic. com. 2. dial. 5. Belzohartic⁹ lacryma cerui dicitur: Pancirola, qui negat eſſe Bezaar, qui in Mauritania naſcatur, etſi eandem virtutem habere poſſit. Scaliger exercit. 112. Schneberger. lit. L. Richardus, & Humelbergius, ex aliorum ſententia. *b* Augenius 3. de Peſte. 8. *c* Pandect. cap. 434. Encelius. *d* Hummelbergius in Q. Serenum. *e* Arculanus, & ex eo à Bra: Bodinus lib. 2. Theat. *f* Cardanus 2. de venen. 14. at Baccius lib. de gemmis 34. Bezahar Arabum, & lapidem ex viſceribus Indici animalis exemptum, idem facit. *g* Pandectar. cap. 434. *h* id eſt Bezahar, ſiue Berzat. Pandect. cap. 377. *i* ſiue Bezar. Ponzettus 2. de venen. 11. ex eo Geſnerus de quadruped. lit. g. k Arabum Langio. 2. epiſt. 24. *l* Schenckio in Obſeruat. *m* Io. Agricola, & ex eo Geſnerus de quadruped. lib. 1. cap. de ceruo, & Henricus à Bra. *n* Amatus. *o* Schenckius lib. 7. de alexipharm. *p* Libauius parte 4. lib. 2. batrachior. ſchol. cap. 22. *q* Andreas Bellunenſis in Arabic. nominum interpret. apud Auicen. & ex eo Geſner. de quadruped. lib. 1. cap. de ceruo, lit. C. & Henric. à Bra lib. 1. cap. 2. de venenis. *r* Mizaldus. *ſ* lib. 8. cap. 32. & ex eo citat Io. Agricola: Rheginus: Amatus 2. in Dioſc. 39. At Plinius lib. 11. cap. 53. elephanto attribuit: Elephantorum, ait, anima ſerpentes extrahit, ceruorum item urit. *t* lib. 28 cap. 9. & ex eo Io. Agricola. *u* de animantium comparatione. *x* ſeu ut alii Abinzoar libro ſui Theiſir: vel vt alii lib. 1. tract. 13. cap. 6. & ex eo Io. Agricola, & Amatus l. c. & ex Agricola, Geſnerus de Quadrupedibus lit G. *y* Pſalmo 42. *z* Amatus, Ponzettus, Enzelius · præſertim in Orientalibus prouinciis, legit Agricola, & ex eo Geſnerus, & à Bra: alii locum non addunt, vt Sarracenus: maximè in Perſia, ſic Bellunenſis in indice Auicen. ex eo Geſnerus, & à Bra ll. cit. *aa* ſic &

Hum-

Hummelberg. *bb* Animo & viribus refici, addit Rheginus. *cc* humor lentus, qui Solis tandem ardoribus in lapillos glandis imaginem referentes, inibi concrescat. *dd* in multam magnitudinem, Rheginus. *ee* Agricola: ex eo Gesner. & à Bra: nucis magnitudinem, Euax, Ianuensis, Pandectarius: Arculanus, ex eo à Bra: nucis iuglandis, Mizaldus, & à Bra: nucis iuglandis pondere, Langius, Heurnius de febribus: auellanæ, vel nucis, Ponzettus. *ff* Amatus in Diosc. *gg* Sic Langius, Heurn. de feb. Lonicerus: Salmuth: attritu oculorum ad arbores tophum illum visus obstaculum, lapidem, si placet, appella, excutit, Mizaldus: hæc omittunt Amatus, Agricola, Gesnerus, à Bra. *hh* Matth. in Diosc. lib. 5. cap. 73. *ii* & ex eo Rheginus. kk lib. 2. in Diosc. cap. 39. *ll* & Pandect. cap. 396. idem ferè Fragosus. *mm* sub palpebris, inuiscatur, Hummelbergius. *nn* iuglandis aut castaneæ, Hummelberg. *oo* vel vt Hummelbergius, Bezehard est cæteris omnibus perfectius, & efficacius, ad expellendum venenum & noxam eius. *pp* in claue sanitatis. *qq* cap. 377. & cap. 396. sub titulo lapidis Bezaar. *rr* Sic Salmuth. aiunt in Orientali plaga ceruos longo senio confectos, serpentes deuorare, quorum esu reiuuenescant: at veneni superandi causa, serpentibus deuoratis in flumen, & cæt. *ss* lib. 2. de venen. cap. 11 & ex eo Gesner. lib. 1. de quadruped. lit. G. *tt* lib. 1. de venen. curat cap. 2. *uu* lib. 8. cap. 32. *xx* Satyr. 14. *yy* lib. 7. cap. 48. *zz* 9. histor. 5. *aaa* cap. 21. *bbb* in colloquiis, colloq. 7. *ccc* lib. 9. & ex eo Maiolus colloq. 7. *ddd* lib. 1. artis veterinariæ. Idem ex eo refert Salmuth. *eee* ex Arabum sententia addit Lonicerus. *fff* in maioribus canthis, Mizaldus memorabil. cent. 1. aphor 70. *ggg* lib. 2 epist. 24. *hhh* lib. 7. Obseruat. de Alexiphar. *iii* de Febribus. kkk in antid. spec. lib. 1. cap. 6. *lll* addidit cap. 10. histor. Indicæ Fragosi. *mmm* lib. 1. de venen. cur. cap. 2. *nnn* 2. histor. animal. 15. *ooo* lib. 9. cap. 37. *ppp* lib. de Lapid. cap. 49. *qqq* in Epist. ad Archiepisc. Strigon. quæ Thomæ Iordani de pestis phœnom. libro addita. *rrr* de lue Vngarica cap. 7. hist. 10. *sss* in comment. suprà Isaaci Israelit. lib. de diæt. particul. part. 4. *ttt* lib. 2. can tr. 2. cap. 616 de serpente, & ex eo Guaynerius. *uuu* de consolat. medici. intent 2. cap. 2. quæ etiam à Guaynerio tr. de ven. cap. 3. citantur.

xxx 6. hist.

xxx 6.hist.anim.29. *yyy* 7.sympos.cap.2.& in quæstion. natur. quæst. 26. & Heurn. de febribus cap.19. *zzz* libr. de venat. ad Cyrum. *zzzz* in analogia microcosmi ad macrocosmum lib.3. par.3. cap.de fletu. *aaaa* de comp. medic. cap.42. comp. 163. citant ex eo quoque Iordanus de pestis phœnom tr.3.cap 9. Mercurial. lib.3. de excrem. cap.2. de lacrym. Langius 2.epist.24. Salmuth in Pancirollum: Heurnius de febribus, huius, ait, meminit etiam Scribonius Largus, sed nemo exactius Iul. Scaligero, & Scaligeri verba subnectit, & addit, se putare, sæpius euenire, vt ostendantur eiusmodi lacrymæ, tanquam Besoartica quædam medicamenta aduersus venena. *bbbb* lib.3. de excrem. cap.2. *cccc* lib.7. de subtilitate. *dddd* lib.2. de venen. cap. 14. & lib.3. cap.10. *eeee* lib.2. epist. 24. *ffff* de Scorbuto exerc.5. *gggg* Baldus Angelus lib. de nat. Viperæ cap.31. Lapis in oculis ceruorum in senecta concrescit, quoniam toto vitæ suæ spacio, olfactu & calore è terra serpentes euocantes Cerui ipsis vescuntur, & cum siti vexentur ingenti, ad fontes præcurrunt, in aquisque diutius versentur, lachrymæ ipsorum, quasi oculorum profluuia fiunt, & in lapidem obdurescunt. *hhhh* lib.3. de lapid.49. *iiii* lib.2. sui theatri. kkkk lib. de peste. *llll* in exercit. exer.112. *mmmm* de febribus. & Reusnerus de Scorbut. exerc.5. licet sordes admittat, lapidem vero Bezaar pro figmento habere videtur. *nnnn* in lib.5. Diosc. cap.73. *oooo* lib.3. epist. ad Guil. Quaccelbenum. *pppp* de Scorbuto exerc.5. *qqqq* parte 4. lib.2. batrachi. in Schol. cap.22. *rrrr* lib.37. cap.10. & ex eo Encelius lib.3. de lapid. cap.49. *ssss* in Speculo lapidum lib.2.

DESCRIPTIO LAPIDIS BEZAAR EX CERVI LACRYmis condensatis geniti.

CAPVT VIII.

ETsi lacrymas vel sordes in ceruorum oculorum angulis instar sordiũ aurium conglobatas, velut ceræ induratas, & virosi

odoris sæpius obseruarim, cuius odor, primùm graui fœtore nares ferit, postea verò paululum exsiccatus aliquomodo odore moschum repręsentat: attamen in lapidis duritiem concretas hactenus videre non licuit: lubet tamen eius notas, ab auctoribus propositas, quoad substantiam, formam, magnitudinem, & colorem subiicere.

Substãtia ergò durus admodum, duritie cornu superans, tanta tamen læuitate, vt penè tactum effugiat, ita enim sese subtrahit, vt propemodùm seipsum mouere videatur, insigni nitore splendens. Forma latus, in pyramidem tendens, castaneæ glandis've imaginem quadamtenùs referens, & qua parte prominet, rotundus est. Magnitudine auellanæ, vel nucis, coloris citrini, vel mellei, vel fului, non sine vestigiis atriorum venularum, vel ad ruborem vergentis; est etiam coloris subuiridis, & candidi, odore vini. Gesneri *a* hæc est descriptio: lapidis oualis specie, magnitudine fabæ, fuscus, splendidus, leuis, mollis, ab vna parte simplicior, ab altera parte lineas quasdam habet: qui cerui lacryma à recentioribus dicitur, & Bezoar lapidi æquipollere existimatur: figuram quoque addidit.

Sic enim Ponzettus *b*, & ex eo Gesnerus *c* colore citri splendens, odore vini, ad quantitatem auellanæ, vel nucis. Amatus *d*, lacryma cerui lapillus alter est, coloris mellei, latus in pyramidem tendens, à paucis hucusque visus, quem

quem nos, cùm hæc ſcriberemus, ob oculos habemus. Encelius *e*, reperiuntur hæ lacrymę coloris citrini, pulueruleni, ſubuirides, & candidi. Scaliger *f*, (& ex eo Langius *g*, Schenckius, Schnebergerus) in os protuberans concreſcit ea duritie, qua cornu ſuperet: quâ parte prominet, rotunda eſt, inſigni nitore, coloris fului, non ſine veſtigiis atriorum venularum, tanta læuitate, ut penè tactum effugiat, ita enim ſeſe ſubtrahit, vt propemodum ſeipſum mouere videatur. Sarracenus *h*, ad ruborem vergens, durus admodùm, caſtaneæ glandis've imaginem, & formam quadamtenùs referens. Schvvenckfeldio *i*, moſchus eſt infra oculos cerui, iuxta angulos lacrymales genitus, colore citri, odore vini, Caſtaneæ magnitudine.

a de fig lapid cap. 12. par. 3. *b* lib 2. de venen cap. 11. *c* de quadruped. lib. 1. cap. de Ceruo, lit. G. *d* libr. 2. in Dioſc. enarr. 39 at cent. 3. cur. 74. alter ad rubedinem vergens admodum durus, caſtaneæ figura. *e* 3. de lapid. 49. *f* exercit. 112. *g* lib. 2. epiſt. epiſt. 24. *h* de peſte. *i* in theriotrophio Sileſ. pag. 85. titulo Ceruus.

DE LAPIDIS BEZOARIS CERVINI VSV ET EXHIbendi modo.

CAPVT IX.

CVm cerui cauernas, in quibus ſerpentes latitant, inueſtigent, nariumque ſpiritu renitentes extrahant, vt vulgò creditur, mirum non eſt, ſi ex cerui corpore aliquid pro-

deat, quod venenis reluctetur. Quare in vſu ſunt cornua, quorum extrema noſtri volunt comitialibus mirè prodeſſe, & veneno hauſto aduerſari, ſi cornu intra feſta, vt vocant, S. Mariæ, hoc eſt, inter 15. Auguſti menſis, & 8. Septembris, ſit acquiſitum. Imprimis autem, referente Plinio *a*, credunt dextrum cornu medicamento aliquo præditum eſſe, quod inueniri negant, quia à ceruis defodi putant: quæ ex Ariſtotele, *b* deſumpta, qui tamen ſiniſtri meminit, his verbis: cornu ſiniſtrum, compertum eſſe à nemine adhuc fertur: occulit enim id tanquam quodam medicamento præditum. Idem libro περὶ θαυμασ de ceruis Epiroticis id ſcribit, vt hoc ceruorum omnium minimè cõmune eſſe videatur. Etiam Plutarch. *bb* teſtatur, ceruos cornua decidua defodere, & terra recondere. Cornu, ipſiusque cinis aluum ſiſtit, & vlcera tibiarum ſanat, Plinio *c*: imò ipſius nunc contrà vermes frequens vſus eſt: ſic aduſti odor, ſerpentibus abigendis ſingulare Plinio *d*. Pulmo à Plinio *e* in phthiſi & tuſsi commendatur. Os in corde eius repertum, contra venena maximi fit: & talia oſſa de corde ceruæ, ſeu hinnulæ, partum cuſtodiunt, & prægnantibus mirè conducunt, Encelio atteſtante. Et Schvvenckfeldio, omnibus cordis affectibus confert: occulta proprietate partum cuſtodit & prægnantibus mirè confert: partum facilem reddit: cordis palpitationem, tremorẽ, lipothymiam auertit: omnibus venenis maximopere aduerſatur: antidotis theriacalibus &

& cor-

& cordialibus confectionibus miſcetur. Sed notandum, quod Schvvenckfeldius in Tauro monet: ſæpè in corde boum, maximè Taurorũ cartilaginem ſiue oſsiculum cõtineri, ceruino non diſsimile, quod lanii Vratislauienſes diligenter colligant, & paſsim pro oſsiculo è corde cerui, Pharmacopæis imperitis obtrudere. Genitale eius neruoſum areſactũ, ſedat calorẽ coli, poturamenta pudẽdi eius, in fluoribus alui, & ad Venerẽ incitandam cõmendantur; quemadmodũ & ſanguis, atteſtante Plinio *e*, aluum ſiſtit (& ſecundùm quoſdam calculoſis prodeſt) qui coagulum *f* ſanguinem ſiſtere, & medullam *f* oſſium, vlcera tibiarum, curare aſſerit: & Encelius, omnibus inflammationibus, pręcipuè vuluæ, conducere ſcribit: imò *e* & fimum & ramenta pellis ceruinæ deiecta pumice, commendat. Et calcaneus, ſiue talus, ſiue aſtragalus cerui pulueriſatus, dyſentericis ex aqua appropriata, utilis, Schvvenckfeldio. Qua de re qui volet, libellum Sexti Philſophi Platonici de medicina ex animalibus, conſulat. Fungi etiam *g* vel boleti ceruini, in vſum veniunt. Et tandem lacryma indurata, quæ omnium rariſsima eſt, cuius nunc vſum, exhibendi modum, ab auctoribus traditum, eiusque doſin propoſituri ſumus.

Cùm Scribonius Largus ipſis ſordibus ex oculo cerui collectis, ſingularem contrà ſerpentum morſus, & ictus vim tribuat: idcircò ſingularem, & inſitam aduerſus venena vim huic Scaliger *h*, & alii adſcribunt; ita vt Heurnius *i*

primæ notæ dixerit, & Principes ſtudere debe-
re, vt venando nanſciſcantur: alii *k* antidotum
faciunt, contrà venena epotum efficaciſsimum,
& prorſus diuinum: imò contra peſtem, & o-
mne iobolorum virus, & deleteria, medicamen-
tum alexipharmacum Langius *l* aſſerit: hinc o-
mnium venenorum Theriacam, cum Ianuen-
ſi, Arculanus *m* ſtatuit. Et Schvvenckfeldius,
aduerſus venena remedium præſtantiſsimum
eſſe, vim ſiccandi & adſtringendi habere aſſerit.
Quare, Amato *n* monente, ad ea valet, ad quæ
lapillus ex ventriculo animalis extractus: &
Fumanellus *o*, eadem vi cum lapide Bezoar ru-
beo, puluerulento, pollere ſcribit: & Augenius
oo, ad cordis corroborationem, & veneni profli-
gationem nonnullos commendare, refert: Car-
diacis prodeſſe, & contra defectus animæ, ſicut
omnes ictus venenatos, Encelius *p* auctor eſt.
Pleuritidem rebellem huius potu domari, ver-
mesque expelli, Amatus *n* expertus eſt: ab auri-
gine *l* virulenta liberat: & in peſte ſudorem præ-
clarè elicere, teſtis eſt Heurnius *q*: & Cardanus *r*
commune alexipharmacum Galeno incogni-
tum ſcribit, & *ſ* geſtatum aduerſus venena plu-
rimùm prodeſſe Pezar, Smaragdum, & lacry-
mam cerui credit: & Q. Serenus *t* Samonicus
contra ſubitaneos dolores, febres & oſtocopos
magni fecit his verbis:

Seminecis cerui lacrymam miſcere liquori
Conuenit, atque artus illinc mulcere calentes.

Quo loci Hummelbergius vult, lacrymam eſſe
lapi-

lapidẽ, ex lacryma cerui concretum, & esse contra venena præsentaneam medicinam, & Bezehard: quare his febribus maximè mederi, quæ originis suæ causam habeant, intus assumptum, aut extra illatum venenum, cuius virtuti resistat, illud è corpore pellendo.

Exhibendi modum addamus. Vtendi modus *u* in remedio ignoto, & paucis viso, assignari, nisi coniectura vix potest, prçterquàm vt more Antidotorum, si eius copia data fuerit, vsurpemus. Attamen contra venena, in oleo, vel aqua Naphæ: contra febres pestilentes, in aqua nenupharis, vel acetosæ, vel alia frigida, ad minus pondere trium granorum, magno dari iuuamento, Amatus auctor est. Peste correptis, cum vini momento datur, Scaliger *x*: sudorem, ait Heurnius, in peste præclarè elicit, dantur tria grana ex vino, vel aqua scabiosæ: idem lib. de peste, Bezoar ad gra. 12. Hyacinthus Orientalis, Smaragdus ad gra. 6. ex aqua & vino; lacryma cerui, Topazius, Carbunculus, Sapphirus ad drachmæ vnius pondus datur. Vermes *n* puerorum vigente febre, in aqua portulacæ, sine febre, in vino propinatum, extirpat. Auenzoar *y*, filio Hali Regis Contesrabili, huius ad pondus trium granorum hordei, vnà *z* cum vnciis quinq; aquæ cucurbitæ, quæ adscititiam caliditatem mitigare potis erat, potandum dedit, & eum à virulenta aurigine, à valde noxio veneno deuorato causata, liberauit. Tandem vt habet *aa* Ponzettus, hoc trito, quando sumitur

pondus duodecim granorũ hordei, expellitur omne venenum, & virus per ſudorem. Vnde, ait Scaliger *bb*, tantus oritur ſudor, vt penè totũ ſolui corpus videas: quo vno *bb* peſtilens virus foràs truditur. Complet enim, monente Amato *n*, opus ſuum lapis iſte aliquando per vomitum, nonnunquam verò per ſeceſſum, plerunq; tamen per ſudorem. Fabæ vnius magnitudine ex vino rubro ſumptum, mirum in modum remediũ dyſentericis appropriatũ eſſe, Schvvẽckfeldius *cc* aſſerit.

Et vt concludamus, minimè dubitamus, etiã ipſas lacrymas, non induratas, ſiue ſordes, vſui medico inſeruire poſſe, cùm & alia, quæ ex excrementis cerui ortum ſuum habent, à Medicis & magni fiant, & in vſum veniant. Quare cerui lacrymas collectas, cordis pulſu laborantibus, auxilio eſſe, Geſnerus *dd* ex Phyſiologo auctore aſſerit. Sordibus his etiam mulieres quaſdam ad facilitandum partum vti, Clariſs. D. Andreas Dörer, Electoris Saxoniæ defuncti Archiater, ad me perſcripſit; addens, ſed quo id cum ſucceſſu fiat, ipſum adhuc latere. Imò ſunt qui nũc apud nos contra venena vtantur. Nemini ergò mirum eſſe debet, ſi vt Scribonius *ee* refert, Siciliæ venatores, imò & Indorum, vt ex Auenzoare Langius citat, ſummo ſtudio inquirant, colligant, & magni diuendant.

a lib. 8. cap. 32. *b* 9. hiſtor. animal. 5. *bb* de Pythiæ oraculis, & lib. 7. ſermon. conuiual. cap. 2. *c* lib. 28. cap. 14. & 17. *d* lib. 8. cap. 32. & lib. 10. cap. 70. *e* lib. 28. cap. 12. & 17. *f* lib. 28. cap. 18. *g* Iordanus de peſte

tract.

tract. 3. cap 9. *h* exercit. 112. Bodinus lib. 2. theatr. addens se tamen non esse expertum. *i* lib. de febribus cap. 19. *k* Ioan. Agricola, & ex eo Mizaldus, & à Bra: aduersùs venena remedium præstantissimum, Scaliger: potest tamen lacryma cerui eandem quidem virtutem habere, quam habet Bezoar, at non is est, qui in Mauritania nascitur, Pancirolus. Item Baldus Angelus lib. de nat. Viperæ cap. 31. aduersus venena & venenatos morbos, ac in peste miro sunt auxilio. *l* lib. 2. epist. 24. & ex eo Heurnius de febribus. Auenzoar. 1. Theisir. citante Ioan. Agricola, & ex hoc à Bra. *m* & ex eo à Bra. *n* in Dioscor. ex corde vel stomacho animalis. *o* de curatione Pestis cap. 5. & ex eo à Bra. *oo* lib. 3 de peste, cap. 8. *p* 3. de lapidib. 49. Sic Augenius lib. 3. de peste cap. 8. ad corroborandum cor, & venena profliganda, nonnulli hunc lapidem commendant. *q* lib. de Febribus. *r* lib. 2. de venen. 14. *s* 3. de venen. 2. *t* de morbor. curat. *u* Iordanus de pestis phænom. tract. 3. cap. 9. *x* exer. 112. & ex eo Langius, & Mizaldus & SchVVenkfeldius: ex hoc VVeckerus, & à Bra: Schenckius lib. 7. de alexipharm. Schnebergerus, *y* lib. 1. tract. 13. cap. 6. & ex eo Amatus in Diosc. lib. 2. enar. 39. de genitali cerui agens hæc refert, Abinzoar nominans: Agricola, & ex hoc à Bra. *z* Langius 2. epist. 24. Sic habet: in lacte, aut aqua cucurbitæ, vel rosarum dissolutum: Sic & Heurnius de Febribus, & Salmuth. Monardes lib. proprio, in Hispania inter Cordubam, & Hispalim natum scribit, & ex aqua cucurbitæ grana tria exhibuisse. Schenckius l. c. *aa* 2. de venen. 11. & ex eo Gesner. lib. 1. de quadrup. lit. G. à Bra 1. de venen. 2, qui grana duo legit. *bb* & ex eo Mizaldus, ex hoc VVeckerus, & à Bra. idem & SchVVenckfeldius. *cc* in theriotrophio pag. 85. *dd* lib. 1. de quadruped. cap. de ceruo. *ee* de compos. medic. cap. 42. comp. 163.

QVI LAPIDEM HVNC EX LACRYMIS CERVI CONDENSATVM agnoſcant, & qui eum ab altero diſtinguant.

CAPVT X.

LApidem hunc in angulis oculorum cerui ex lacrymis effuſis, & condenſatis naſci, aliqui aſſerunt, & agnoſcunt: aliqui negāt: alii dubitant, fortè quod in inquirendo tantùm laboris, vti par erat, non impenderint: Agnouerunt, Euax *a*, Pandectarius ex Euace in vocabulo Kemne *b*, Auenzoar *c*, Bellunenſis, in indice vocabulorum Arabicorum Auicennæ: Ioan. Agricola *d*, ex Auenzoare: Ponzettus *e*, Geſnerus ex Bellunenſi: Agricola, ex Ponzetto ſimpliciter refert, quemadmodum etiam Henr. à Bra *f* Amatus Luſitanus *g*, Encelius *h*, Hummelbergius in Q. Serenum: Scaliger *i* ex quo Langius in epiſtol. Schnebergerus in catal. Schéckius *k*, Fumanellus *l*, & ex eo à Bra. Mercurialis *m*, Sarracenus de peſte. Saxonia *n*, Augenius *o*. Bodinus *p*, Rulandus *q*, Heurnius *r*: Salmuth in Pancirollum ex aliorum ſententia, & tandem Adamus Lonicerus *ſ*, qui figuram adpoſuit, qua cerui ſerpentes eliciunt, aquæ innatant, lacrymantur, & aqua egreſsi oculos arboribus affricant, & ſcribit, maiorem partem auctorum concludere, & etiamnum hodie, ab iis, qui eiuſmodi res diligenter inquirunt, confirmari, lapidem hunc

hunc nasci ex lacrymis in angulis oculorũ annosorum ceruorum, posteaquã serpentes quæsitos deuorarint, at non citiùs quàm centesimũ annum superarint.

Qui verò de hoc dubitanter scripserunt, sunt: Simon Ianuensis *t* in claue Sanitatis, & Pandectarius *u* putare aliquos tradunt: quemadmodum & Arculanus in Rhasim: Andernacus *x*, Belzaharticus lacryma cerui dicitur, plura non habet: Matthiolus *y*, historia, an fabula sit, dubitat, quod Salmuth quoque citat. Claud. Richardus, alii cerui lacrymam esse statuunt. Mizaldus, tradunt rerum naturalium perscrutatores, &c. ex hoc Weekerus *z*, & Wittichius: & à Bra. Libauius *aa*, lacrymæ, scribit, ceruorum si lapidescant, & vrina, non multùm distant ab illarum natura.

Sunt denique qui negent dari, vt Cardanus *bb*, qui falsò lacrymam cerui à Scribonio dici, scribit: Fallopius *cc*, Wittichio referẽte, figmentum esse asserit, quemadmodum & Reusnerus *dd*, qui non de sordibus, sed de lapide intelligendus. Quidam, ait Cæsalpinus *ee*, fabulati sunt, lacrymam esse ceruorum in angulis oculorum congelatam, fortè quia hic lapis aliquando lacrymam præ se fert tereti figura, nullo intùs cauo instar guttæ congelatæ. Sic Ryffii pharmacia reformata: quod de lacrymis cerui alii fabulantur, peregrinatione aperta in Indias, ea confutata & annihilata sunt.

Nunc quinam sint, qui & vtrumque agnoscant,

ſcant, & de utroque agant, oſtendamus. Amatus Luſitanus *ff*, alterum è ſtomacho animalis, alterum ex lacrymis cerui coagulatis & propoſuit, & quia vtrumque nouit, etiam deſcripſit. Fumanellus *gg*, agens de Bezoar ait, nec lapis hic ille eſt, qui ex lacryma è ceruorum oculis in globum concreta colligunt, dum ſerpentibus depaſti fluminibus ſe immerſerint: & cap. ſeq. inquit, lapis vterque Bezaharticus. Matthiolus à Bezahar Mauritanorum diſtinguit. Sunt, ait, qui memoriæ prodiderunt in ceruorum oculorum angulis lapidem gigni viribus Bezahar prædicto (ſcilicet Mauritanorum) haud abſimilem. Cardanus *hh* agnoſcit, & à Pezar lapide ex India diſtinguit: idem alibi *ii* ſupremum, ſcribit, in cura morſus & ictus venenati animalis, & ex omnium conſenſu eſt Theriaca optima, & Pezar, aut ſordes oculi ceruini: eſt & tertium genus, quod forſan fit ex ſorditie illa ceruini oculi durata, & eſt lapis, quem deſcribit Conciliator: hæc Cardanus. Andernacus l. c. Belzoharticus lacryma cerui dicitur: in India ex ſtomacho vel corde cuiuſdam animalis extrahitur. Sic Iordanus, Bodinus, Rulandus, diſtinguunt, ſed hic, potiùs ex aliorum ſentẽtia. Mercurialis ſic; puto ſæpiùs euenire, vt oſtendantur eiuſmodi lacrymæ, tanquam Beſeartica quædam medicamenta aduerſus venena, qui libro de venenis ex ventre animalis cornigeri ſumi aſſerit. Maſſaria *kk*, vtriuſq; meminit, hunc lapidem in ceruorum oculorum angulis, alterum

Bezoar

Bezoar nominando. Augenius de peste, sunt nonnulli qui ad eundem affectum lapidem in angulis oculorum cerui nascentem commendant. Saxonia, lapis Bezoarticus, siue Bezoar, siue illum intelligas in ventribus animalium inuentum, siue cerui lacrymam. Sarracenus triplicem lapidem Bezaar proponit: primum ex ventre animalis: alterum è felle hystricis, & tertium ex lacrymis cerui.

a lib. de lapid. *b* cap. 377. *c* in suo Theisir. *d* lib. 2. *e* 2. de venen. 11. *f* 1. venen. 2. *g* lib. 2. in Diosc. cap. 39. & centur. 3. curat. 74. *h* 3. de lapid. 49. *i* exer. 112. k lib. 7. obser. *l* de peste 5. *m* lib. 3. de excrem. 2. *n* de plica cap. 59. *o* lib. 3. de peste cap. 8. *p* lib. 2. theat. *q* de lue Vngar. cap. 7. hist. 10. *r* de febrib. cap. 19. & de peste. *s* in herbar. German. cap. vlt. *t* in claue sanitatis. *u* cap 397. *x* medicam. comp. 2. dialog. 5. *y* lib. 5. in Diosc. 73. *z* in suo Antidot. *aa* part. 3. cap. 16. *bb* lib. 7. de subtil. *cc* de peste. *dd* de Scorbuto. *ee* lib. 2. metal. cap. 46. *ff* lib. 2. in Diosc. cap. 39. *gg* de cur. pest. 5. *hh* lib. 2. de venen. cap. 14. & lib. 3. cap. 3. *ii* lib. 3. cap. 10. kk lib. 2. de peste.

DE LAPIDE IN CERVO CERVA'VE GENITO.

CAPVT XI.

ABsoluta historia lapidis, ex lacrymis cerui geniti, non abs re erit inquirere, vtrum etiam intrà cauitates Cerui lapis reperiatur, & vtrum ipsius vsus esse possit. Ex corde ceruino lapides exemptos, item in ceruæ ventriculo, & intestinis genitos, Crato, Encelius, & Iordanus testantur, quorum verba apponemus.

Lapis, inquit Crato *a*, qui in corde cerui repertus est, quiddam cum lapide Bezoar commune habet, licet neque forma, neque colore eum referat: nam is quoque ad hunc modum incrustatus est, neque dubito, quin aduersùs venena prosit.

Sic Encelius *b*: eandem vim habet (scilicet, quam lacryma cerui) & est Bezaar, os de corde cerui: porrò talia ossa de corde ceruæ, seu hinnulæ custodiunt partum, & prægnantibus mirè conducunt. Eandem vim habet lapis repertus in ventriculo & intestinis ceruæ.

At Iordanus *c* sic scriptum reliquit: Etiam lapides è ceruino corde exemptos vidi, oui propè columbini magnitudine, laminis conflatos, & quod iucundum fuit aspectu, postquàm comminutus fuit, repertum est osiculum in meditullio, simile cæteris osibus, in corde prognatis, circa quod putamina hæc sese aggregando amplificauerunt, & in hanc molem atque duritiem, calore cordis extorrente lapillum produxerunt *d*: Eum longè prętulerim cuiuis Bezaar, cùm non capræ ventriculo, sed animalis alexicaci corde repertus, maiorem affinitatem eundem nobiscum habere, verisimile fit, nisi in pastum causam referas, quòd capræ illæ pabulo pollentiore vescâtur, quàm cerui apud nos: hactenus Iordanus.

Sanè compertum est, vt superiùs quoq; monuimus, os in corde cerui repertum, ad Alexipharmaca asseruari: sic cornua ceruina, præser-

tim ramorum extrema, non solùm veneno hausto aduersari, sed comitialibus mirè prodesse creduntur; sunt qui pulmonibus in phthisicis nihil vtiliùs statuant: sic genitale eius arefactũ, potu exhibitum coli dolorem sedat: ramenta eius pudendi, Venerem incitant: sanguis eius aluum sistit, & calculosis prodest: medulla inflammationibus, pręcipuè vuluæ, conducit. Quid de lacrymis, vel etiam sordibus in lapideam duritiem cõcretis statuendum sit, præcedente capite dictum fuit: quid ni ergo maximi faciamus lapidem intra ceruum repertum, imprimis si multis corticibus, vel laminis, ad modum Bezaaris Orientalis cõpositus, & conflatus fuerit?

Lubet aspergere ea quæ apud Sextum Philosophum Platonicum *e* reperiuntur, qui postquam varia medicamenta à ceruis desumpta, proposuisset, sic inquit: Lapis, qui in vulua, aut in ventriculo cerui inuenitur, phylacterium est prægnanti, & perficit, vt partum perferat, eaq; ratio colligit, velocissimum esse illud animal, nec tamen abortum facere. Simili ratione ossicula inueniuntur in corde cerui, aut in vulua eius, quæ idem præstant. Et Constantinus Affricanus *f.* lapis qui in vulua, aut ventriculo eius, aut in corde inuenitur, facit mulieres cõcipere. Verùm qui volet, legat librum Iohannis Georgii Agricolæ, cui titulum fecit, Cerui excoriati & dissecti in Medicina vsus: in quo omnes cerui partes persequitur, & quem in Medicina vsum habeant, ex auctoribus recenset.

a epist. 160. *b* de lapid. lib. 3. cap. 49. *c* de pest. phænom. tract. 3. cap. 9 *d* hucusque ex Iordano recenset Schenckius in append. suæ lithogenesiæ. *e* lib de medic. ex animal. desumpt. cap. 1. *f* lib. de animal. cap. de ceruo.

DE PILA IN VENTRICVLO VITVLI.

CAPVT XII.

IN vitulorum siue boum iuniorum ventriculo, nõnunquam & in intestinis, pila pugnum æquans, reperitur, quæ æqualiter orbiculata, nigri vel ferruginei coloris, superficie læui, splendente, & pondere leuissima: intrinsecùs verò ex pilis densè compactis, & arctissimè infarctis tota concreta conspicitur. Quarum generatio talis esse videtur, quam etiam Weierus *a* expressit: vituli adhuc lacte materno viuentes, si quando alimoniâ destituti, vel aliqui petulca ætate insolescentes, ad parentem, vel aliam vaccam accurrunt, eius suras, vel quemcunque locum hirtum ore contigerint, maximè posteriorum coxarum, tam exugunt auidè, vt etiam depilem reddant: pilique valido crebroq; suctu in ventriculum attracti, & frequenti motu, saltuque lasciuo paulatim conglomerati, plerunque lacte, vel chylo, aut pituitoso succo lento obuoluuntur: qui temporis successu tenacior redditus, membranæ faciem induit: quemadmodum hæc pilarum pellicula substantia limosa, albida, statim à sectione visa est primum obducta: quæ deinde sensim exiccata, corio etiam

etiam nigritie tincto, aſsimilatur: hac vna in parte cultro nonnihil exciſa, pili molles, vniformes admodùm compacti apparent. Huiuſmodi pilas plures vidimus, vnamque habemus. Meminit & Weierus eiuſmodi pilæ, quę admodum leuis, oui magni quantitate, ſed orbicularis, coloris nigri, quæ Piſis ex colo inteſtino iuuencæ bubulæ extracta, pomo citrio vel arantio tam ſimilis, vt ſi eo colore fuiſſet, viſu ſolo diſcerni non potuiſſet. Imò, addit; fuiſſe quoſdam arbitratos, ex integro Arantio deglutito, ita in ventre induruiſſe, quod arbitrarium & ridiculum: cortice enim vna in parte cultro vix ægrè inciſo, & detracto, tomenti nigrioris congeries, & ex pilis tota concreta, & ſuffarcinata inuenta fuit.

Harum pilarum & Plinius *b* mentionem feciſſe videtur, his verbis: In iuuencarum ſecundo ventre, pilę rotunditate nigricans tophus reperitur, nullo pondere: ſingulare, vt putant, remedium ægrè parturientium, ſi tellurem non attigerit. addit Geſnerus, quidam etiam partũ, ab eo geſtato cuſtodiri, nugantur. At ſi de noſtra pila loquatur, tum eam ineptè tophum appellaſſe VVeierus cenſet, ſiquidem tophus inter lapides foraminulentos numeretur: hæc verò pila, ex pilis compacta, nihil vel lapideum vel arenoſum vel foraminulentum habet, ſed circumquaq; ſpiſsiſsima & ſolidiſsima eſt. Et Ferrandus *c* Imperatus Neapolitanus Pharmacopœus præſtantiſsimus, Tophum iuuencæ no-

minat: addens eſſe pilam in vaccæ ventre genitam, ex pilis, ſubſtantia tophacea tectis. Meminit etiam Geſnerus, ego (ait) ſimiles Plinianis tophis, pugno maiores leuiſsimos, ſuperficie lęui, vidi, & habeo.

At Cardanus *d*, Ouum bouis nominat: quædam ſunt lapidibus ſimilia, quæ in animalibus inueniuntur, nec tamen ſunt lapides, vt ouum bouis: hoc ſanè in ventriculo illius inuenitur, magnitudine oui anſerini, ferrugineo colore leuiſsimum ac leniſsimum, cogitur ex cibi excrementis, & motu rotunditatem acquirit pituita cogente: vnde ſi frangatur, ex pilis conſtare videtur: durum eſt pro leuitate tanta: ita natura ludit, vt etiam quandoque boues oua pariant: & hæc ille. Ridiculum profectò eiuſmodi pilas, ex pilis conglobatis conſtantes, oua, cum quibus ne tantillum ſimilitudinis habent, appellare. Sed rectè profectò VVierus monet, futurum vt huic ſententiæ adſtipulentur, fidemque habeant, quicunque veterinariæ rei aſſueuêre, & iumentorum educationem attentiùs obſeruarint. Nam & ego teſtari poſſum, eiuſmodi pilas ſæpè in Ouis, imò & Capræ quoque ventriculo, & aliquando plures ſimul nucis magnitudine, leues quidem pondere, ſed ſuperficie non adeò læui, nec ſplendente, & compactioris ſubſtantiæ, reperiri.

Sed & Vlyſſes Aldroandus Bononienſis, in omnibus omnium iumentorum ventribus reperiri aſſerebat, & oſtendebat pugnum æquantes,

tes, puniceos, nigricantes: colore enim variare, prout animal variabat, censuit. A veneficis ad philtra, veneficia, & alia portenta edenda, adhiberi aiebat.

a lib 3. de præstig. dæmon. cap. 5. & ex eo Schenckius in append. suæ Lithogenesiæ. *b* lib. 11. cap. 37. Gesner. lib. de figur. lapid. cap. 12. VVierus & Schenckius loc. cit. *c* hist. natur. lib. 28. in fine. *d* lib. de subtil. rerum.

DE PILA RVPICAPRAE, SIVE BEZOARE GERmanico.

CAPVT XIII.

IN capris alpinis, quas Rupicapras Plinius vocat, & quæ in præcelsis Rhætorum & Valesianorum rupibus, & in alpibus Episcopatus Salisburgensis viuunt, frequēter pila (quod & Gesnerus *a* notauit) seu globus in ventriculo, circa Nouembrem *b* ubi capiuntur, (sed in maribus tantùm reperitur: quam Gemsen Kugel/ id est, rupicapræ pilam vocant. Sunt autem pilæ hæ formâ quidem oblongæ, trium transuersorum digitorum longitudinem vix superantes, & compressæ (rotundam nullam vidi) magnitudine nucem magnam æquantes: quarum aliquæ cute coreacea nigra splendente, rugosa tamen, quas præstantiores iudico, obductæ: cuiusmodi binas, à D. Pōtisella Curia Rhætorum anno 1612. accepi: aliquæ castaneæ colore, splendentes quidem, non verò rugosâ cute, aliquæ denique cute subcinerea, nec splenden-

te, nec rugoſa, eiuſmodi D. D. Zacharias Beli à Belfort Medicus Curienſis ad me anno 1610. miſit. Odore ſunt grato, valde aromatico, etiam non apertæ, ſed non pari ſemper odore, alio enim tempore longè vegetiore & excellentiore, ita ut in conclaue aliquod ſi reponatur, totum odore ſuaui repleant. Nec mirum odoratas eſſe, cùm ex radicibus & herbis odoratiſsimis depaſtis fragrantiam ſibi concilient: ſi namque vel eas diſſeces, vel cutim obductam auferas, maſſam videbis compactam ex herbarum depaſtarum fibris, pilos quaſi referentibus. Aliquando etiam ipſum Doronicum in medio reperitur. Nec omni tempore ſimiles ſunt; dum enim creſcunt, maſſa quædã eſt magna quaſi piloſa, quæ ſucceſſu temporis magis compactis fibris diminuitur, dureſcit, & cutis coriacea nigra, micans, ſeu fulgens obducitur: imò aliquando lapideſcere, ad me Doctor Beli perſcripſit.

Pondere leues ſunt, drachmas duas, tres & quatuor cum dimidio meæ pendent. Sapore ſunt aromatico, inſtar cinnamomi, vel Garyophyllorum exoletorum, Caſsia tamen gratiore, & nonnihil ſubacidiuſculo & leuiter aſtringente.

Vim habent calefaciendi, & ſiccandi, & cerebrum corroborandi: quare apud Rhætos ipſarum vſus eſt cõtra vertiginem, haud dubiè propter Doronicum *c* (cui nonnulli falsò vim deleteriam tribuunt, Aconitum facientes) cuius vſus in vertigine eſt, & à noſtrarum Alpium incolis

colis Gempsen Wurtzel & Schwindelwurtz, id est, Rupicapræ radix, vel radix contra vertiginem, nominatur. qua *b* radice etiam Capreæ ſylueſtres admodum delectantur (venatoribus referentibus) quam copioſè ingurgitant, & ita diu famem tolerant. Animi alacritatem miram inferre, ſpiritum promptiorem reddere, ſe in ſeipſo eſſe expertum D. Beli ſcribit, cùm de hac pila aliquantulum in vino albo generoſo aſſumpſiſſet, ita vt longè agilior & leuior ſibi videretur.

Matronæ nobiles apud Rhætos, diligenter aſſeruant in eum uſum quem Plinius *b* Tophis iuuencarum tribuit; quòd ſint ægrè parturientium ſingulare remedium: idcircò his vtuntur, ad partum promouendum & ſecundinas pellendas: ſuffocationem vteri auferendã & menſes promouendos. Sic & Dyſenteria laborantibus conducere, & dolores colicos ſedare, aſſerunt.

Exhibent tritas, in aqua aliqua deſtillata, pro ratione affectus & intentionis curatiuæ.

Tandem ab aliquibus in morbis malignis commendatur, vt ex ſubiecta epiſtola colligere eſt; quam Cl. D. D. Nicolaus Agerius, Argentinenſis Medicus, nunc Phyſices Profeſſor, anno 1613. ad me ſcripſit.

Quæ mea in his & ſimilibus mens hactenus fuerit, aperiam: cenſui ſemper non ita nobis Naturam fuiſſe nouercam, vt licet non eadem, æqui tamen pollentia ſuppeditarit, & plantæ,

fructus,lapidis damna, alio æquiualente lapide, fructu,planta compensarit. Sic commodè Zingiberi, pimpinellæ, saxifragæ minoris radix succedit: Spicam Indicam æmulatur, imò potiùs excellit, Nardus nostra montana, quam aliqui Saliuncam vocant: alia nostratia, aliis exterraneis substituuntur vtiliter. Idem & dum mecum sæpè de lapide Bezoar volutarem, accidit, vt nobilissimo viro, Domino Hieronymo Augusto zum Jungen / qui diu in Vngaria Legati, vt vocāt, bellici munus strenuissimè obiit, medicas manus æstate præterita adhiberem: & cùm febri mali moris laboraret, etiam ad anchoram hanc sacram Bezoar, nōnunquam nobis confugiendum esset, cœpimus de lapide isto vnà conferre: & cùm curiosè de eius natura & origine inquireret, quæ vnquam apud Monardem,& alios legi, recensui. Quibus ita attentè auditis, cœpit mihi commemorare: se, dum in aula Reuerendissimi Episcopi Salisburgensis aliquando viueret, æstiuis mensibus omne ferè tempus in Alpinis istius Episcopatus præcelsis insumpsisse: & auidissimè Damas ac Rupicapras insectatum fuisse. Cumque mactatas eas, sępè à venatoribus videret exenterari,& in frusta secari, in aliquibus lapidem repertum fuisse, quo venatores, tanquam pretiosa quapiam re Episcopum & Aulicos donarunt, qui eum Bezaar Germanicum nuncuparunt. Variabant,vt retulit,in quantitate: maiores nucem ęquabant iuglandem, nigricabant, & cùm rumperentur, gratissi-

gratiſsimo ceu herbæ odoratiſsimæ odore fragrabant. Quæſiui tum de loco; retulit, veluti de ſuis Monardes capris refert, non in ipſo ventriculo, ſed ſupra ipſum in Burſula quadam eos ſemper hæſiſſe: vti etiam eo feliciter Aulicos, in morbis malignis. Verùm non in omnibus reperiri monuit, ſed è quinquaginta vix in vna aut altera: & venatores, vbi frequentiùs fortè reperiuntur, hyemem ſubſecuturam eſſe aſperrimam, opinari.

Operæ profectò pretium quiſpiam fecerit, ſi in ſimilibus inueſtigandis pecoribus operam daret ſtrenuam, & quid in venenis domandis poſſent, exploraret: ſic ingens hic theſaurus etiam pauperibus communicaretur, & nos à fraude impoſtorum ſecuriores redderemur, &c. Hæc ſanè me mouerunt, vt ante aliquot annos, hac de re cum Illuſtri & Generoſo Domino, D. Io. Georgio Barone à Froburg, Reuerendiſs. Archiepiſcopi Salisburgenſis Conſiliario, ſermonem commutarem, cùm me valetudinis ſuę cauſa in arcem ſuam nobis vicinam vocaſſet, & officiosè rogarem vt pleniùs hæc cognoſcere poſſem: qui pro ſua ſingulari humanitate poſtmodum Anno 1623. pilas duas obtulit, vnà cum ſcheda in qua earum vſus conſignatus fuit: cuius hæc ſumma. Ad febres malignas valet, ſi grana quindecim aut viginti in aqua aliqua cordiali aut iuſculo exhibeantur, priùs tamen corpore purgato; eodem mŏdo aduerſus venena propinatur. Contra peſtem, præſeruationis

PILA RVPICAPRÆ.



loco grana quatuor aut quinque cum tantillo vini ieiuno mane exhibetur. Vertigini prodeſt, ſi inſtar amuleti de collo geſtetur, carnemque tangat.

a lib. de figur. lapid. part. 3. cap. 12. in capris alpinis, quas Rupicapras Plinius vocat ſimiles (quales in iuuencarum ventre) reperiuntur, & in aliis quibuſdam fortè: hæc etiam Io. Georgius Schenckius in ſua lithogeneſia habet. *b* Camerar.

merar. in suo horto. & Plinius lib. 11. cap. 37. *c* hoc Doronicum cyclamini folio, radice nigra dicitur. Folio columnæ in minus cognitarum plantarum parte altera.

DE LAPIDE IN EQVO.

CAPVT XIV.

NVnc de lapide in Equo genito, quem fortasse Bezoar vicarium esse, Iordanus *a* & Crato suspicabãtur. Quadriennium abiit (scil. A. 1562) cũ D. Crẽko à Lippa, equus Neapolitanus concidit, mortis causam inuestigaturus, lapidem è vẽtriculo excidi fecit, oui fermè anserini magnitudine, lamellis cõflatum, pilis quoque refertum, scabrum tamen neque splendentem dupondii põdere, quem Rudolphus Hungariæ rex, inter sua rariora reposuit. Eum fortasse Bezoar vicarium esse, vel de generatione huius, quæ recensentur, verissima esse, testimonio comprobari poterit. Crato excellentissimus hanc refert historiam. Chilianus Hottomanus Senator in patria mea (scil. Vratislauiæ in Silesia) equum habuit, qui superiore anno mortuus est: is multos lapides excreuit, qui & colore & substantia nihil differunt à lapide Bezoar: ita enim concreti sunt, ita puri & in superficie nitentes. Ipse vnum hîc habeo, oui columbini magnitudine: mortuus est equus superiori anno, & lapis perfectè rotundus magnitudine pomum arantiæ æquans, qui transire intestina non poterat, in intestinis repertus: plurimos lapides excreuit, sed grandior ille, rotunditate &

coloris pulchritudine omnes ſuperat: habet integrum & fractum, nondùm de viribus feci periculum: hactenus Iordanus. Huius lapidis etiã Schvvenckfeldius *b* meminit, quem Hippolithon & equinum Bezoar nominat. Poſſemus hîc quoque adducere hiſtoriam lapidis inſignis magnitudinis, in aſino in Ducatu Wirtenbergico inuenti: ſed inſtitutum non eſt omnium lapidum in animantibus repertorum hiſtoriam recenſere, cùm totidem ferè lapides in animantibus concreſcant, quot animantium genera ſunt. Lubet tamen pauca addere de Onagari lapide, cùm is contra venena commendetur, & quidem verbis Camilli *c*: Aſinius ſiue Aſininus lapis, qui ex ſylueſtri aſino extrahitur, ſubalbidus eſt, parum in citrinum tendens, cum rotunda & parum oblonga figura, in quantitate non magnæ nucis, non durus, cum aliquibus anfractibus non multum penetrantibus: cùm frangitur, ſubcitrini ſmalti liuidi ſimilitudinem retinet: hic duplex eſt, maxillaris & cephalicus. Cephalicus capiti impoſitus, eius dolorem ſedat, ac epilepſiam curat. Maxillaris, quia in maxilla reperitur, geſtantem indefeſſum reddit: venenoſis animalibus reſiſtit: ſumptus cum vino, quartanas febres excutit: in necando vermes puerorum, miram virtutem habet: ſi cum vino ſumatur, nocumentum aquæ bibitæ in qua venenum ſteterit, corrigit, ac reptilium morſus curat: prægnantibus auxiliari fertur, & ex aluo fœtum mortuum educere.

a tract. de pestis phænom. tract. 3. cap. 9. *b* in theriotrophio Silesiæ, titulo equus. *c* in speculo lapidum lib. 2.

DE LAPIDE BEZAAR EX ARABVM SENTENTIA.

CAPVT XV.

QVi de lapide Bezaar hodie vsitato scribunt, eundem ab Arabibus recentioribus, descriptum esse volunt: quorum alii lacrymam cerui condensatam *a*, alii lapidem ex ventriculo capræ, hircíve Persici exemptum exhiberi statuunt. Quare ea, quæ apud Arabes inuenimus, primùm in genere & summatim producemus: dein in specie ipsorum verba subiungemus, cùm sint qui negent (inter quos est Thomas Iordanus *b*) Arabum lapidem cum nostro cõuenire, quò manifestum fiat, de quo verba fecerint, & vtrum nostro accommodari posſit.

Hager Albezahar, id est lapis liberans à venenis, qui aliter Keure & Bezard, vel Bezahar, fortè etiam Albedengesif dicitur: lapis est figura glandi similis, colore varians, est citrinus, & veluti puluerulentus; est valdę viridis, subuiridis, ex albo virescens; est albicans, est & rubeus: melior tamen citrinus: leuis *c* vt spongia: splendens sicut lumen, tactu mollis & frangibilis, vel *d* rasibilis, vt gypsum, non habens saporem. Generatur paulatim incrassando: quare in eo reperitur cortex super corticem. Locum inuenio tantùm apud Auenzoarem, in oculorum cerui angu-

angulis, & apud Raby Moysen, in bursa fellis arietum in Oriente. Hic enim in Syria, India, & Oriente reperitur. Nec vnus solùm fuit, sed plures, alius Manibati, alius Chobori, alius Chindor, Serapione monẽte. Sunt tamen nonnulli alii lapides, his, forma quidem, non autem viribus, similes. Quare & Arabum tempore, lapides hi adulterini deprehensi fuêre.

Quoad vsum, proprietas eius est contrà venena omnia: longè enim magis præstat aduersùs deleteria venena, quàm cætera omnia, non modò simplicia, sed etiam quæuis alia composita antidota, etiam ipsa Theriaca; nam secundùm totam substantiam venenis tàm calidis, quàm frigidis animalium & plantarum, seu intùs assumptis, seu ictu venenosorum animaliũ illatis, maximè Napelli, morsibus item & puncturis venenosorum, imprimis scorpionum, resistit. Et id *e* tàm haustus, quàm gestatus, & impositus suprà plagas: intrò quidem sumptus, pondere duodecim granorũ hordei, vel quarta parte aurei vnius: tritus, drachmæ *f* pondere in potu exhibitus fuit *g* Edoardo Regi Angliæ, cùm gladio toxicato à Passiasino Soldani apud Acaronem ciuitatem, transmarina illa aduersùs Mahumetanos expeditione, vulneratus fuisset. Raby Moyses, hexagium vnum lapidis, cum sufficienti oleo dissoluit in patella, & ad octauæ partis absumptionem coquit, & ei, qui morsus fuerit, sorbendum exhibet, & locum illinit: sic à morte liberat, & venenum per sudorem

rem expellit. Verùm Auenzoar, tria grana, cum vnciis quinque aquæ cucurbitæ, filio Haly Regis exhibuit, eumq; ictericum toto corpore ob venenum perniciosissimum sumptum, curauit. Sic de collo suspensus, vel suprà puncturam, vt scorpionis, vel morsum animalis venenosi positus, aut tritus, & illitus venenum per sudorem attrahit, & expellit: quòd si vlceri à morsu causato inspergatur, id mundificat, & curat. Annulo inclusus, si ab eo, qui venenum sumpsit, ori imponatur, & aliquantum sugatur, confert.

Quòd si lapidi huic Scorpionis imago incidatur, luna ascendente, & existente in signo Sagittarii (alii Scorpionis) & annulo includatur, & cum eo olibanum sigilletur, luna existente in Scorpione, & de hoc olibano trito, in potu exhibeatur, non secus quàm ipse lapis contra venenum scorpionis valet: quemadmodum etiam solus lapis signatus, in annulo gestatur. Quòd si pondere duorum vel trium granorum, in aqua dissolutus, serpentis ori indatur, eum statim suffocat: sic si scorpionis aculeus cum hoc attingatur, pungendi potentiam amittit.

Quare cùm huius lapidis olim, propter tantas facultates, tanta gloria fuerit, non mirum si filius Almirama custodis legis Dei, pro lapide hoc, palatium magnificum, & propè regium, quòd tum Cordubæ habuit, in principio belli rependerit: haud dubiè, quia rarus fuit, vt ex ipsorũ scriptis patet, quare Abdalanarach, à Serapione, tanquam testis citatur, quod eum viderit,

derit, & cum Rhasi; Auicenna asserit, valdè vtilem esse, si inueniri posit; quæ sanè causa, cur lapidis huius, & cognitio, & vsus, aliquãdiu fuerit intermissus: & huius lapidis Arabum, Historiam etiã Matthiolus succinctè proposuit. Hæc summa est omnium eorum, quæ ab Arabibus, & Latinobarbaris sparsim proponuntur: quæ Bertinus in sua medicina *h* sic expressit, Bezahar lapis est autoritate Arabum, flauus, puluerulentus, ex albo virescens, saporis expers, luminis instar splendens & leuis, duodecim granorum pondere haustus & in ore retentus, venenis mirificè obsistit, venenatisque morsibus admotus, strenuè occurrit. Et Gorræus *i*, Bezaar nomen apud Græcos non habet, sed lapis est Arabibus solis notus, mollis, colore flauo, leuis, luminis modo splendens, sapore nullo, mirificè valens aduersùs omnia venena.

Nunc ipsorum Arabum testimonia, propriis eorum verbis adductis, subiiciamus. Rhasis, Hamech Benreripho, Abdala Nacach, Serapionis, qui tres priores citat, Auenzoaris, Auicennæ, Haly Abbatis, & Raby Moysis.

Serapio *k*: Hager Albezahar, id est lapis liberans à venenis, vt Theriaca. Albezahar est nomen Persicum, & est expellens nocumentum. Et hoc nomen cadit super duo, vnum est, quod cadit super omnem medicinam conuenientem alicui veneno, eò quòd resistit virtuti eius, & expellit nocumentũ ab eo, per proprietatem quæ est in eo. Et secundùm est, quod cadit super lapidem

pidem notum, qui conuenit *kk* omnibus venenis calidis & frigidis, cum tota ſubſtantia, & reſiſtit eis bibitus, aut ſuſpenſus ſuper patientem. Alius *l*: colores *m* lapidis Bezahar ſunt multi, nam ex eo eſt citrinus, & *n* velut pulueruleutus, & manibati *o*, & ille qui participat viriditate, & ille qui participat albedine: melior verò omnibus eſt citrinus *p*, & poſt ipſum eſt puluerulentus, & hic *q* defertur ex Coraſcen, & ibi nominant eum Bezar, & expoſitio eius eſt, contra venenum: & minera eius eſt in terris *r* Syri & Indiæ, & in terris Orientis *ſ*. Et multi lapides ſimilantur eis, qui non habẽt proprietatem ſuam, nec approximant, ei in aliquibus operationibus *t*, & eſt quidam qui dicitur Chobori *u* & marina, & eſt lapis, in quo nullus errat; ſed multi errant in alio, qui dicitur Chindor *x*, & eſt lapis multæ *y* humiditatis, leuis, mollis tactu, mollitie ſine ſuperfluitate, & caliditas eius eſt etiam ſine ſuperfluitate. Et proprietas *z* eius eſt, quòd confert venenis omnium animalium, & plantarum, morſibus & puncturis venenoſorum. Et quando bibitur ex eo pondus *aa* duodecim granorum hordei, aut quando fit linimentum cum eo ſuper locum morſus: liberat namque à morte, & expellit venenum per ſudorem. Et quando ponitur in annulo iſte lapis, & reponitur in ore eius, qui ſumpſit venenum, & ſugit aliquantulum, confert ei: Et ſi ponitur *bb* lapis iſte ſuper locum puncturæ, aut ſuper locum morſuræ animalis venenoſi *cc*, quemadmodum

modum

modum est punctura scorpionis, aut cantharidum malarum, qui Zambor *dd*, confert eis iuuamentum manifestum. Et si teratur & ponatur super morsum reptilium venenosorum, attrahit venenum per sudorem. Et si locus *ee* in quo est morsus, est putrefactus, & puluerisatur super locum ex hoc lapide, mundificat & curat: & quando tangitur *ff* cum isto lapide aculeus scorpionis, prohibet ab eo potentiam pungendi. Et si teratur *ff* ex eo pondus duorum *gg* granorum hordei, & dissoluatur in aqua, & ponatur in ore serpentis, suffocat serpentem statim, & occidit eum.

Addit Monardis ex Serapione *hh* quę in meo exemplari non habentur; si quis sinistræ corporis nudæ parti applicatum gestet, nec à veneno, nec à perniciosa aliqua re offendi, quia propria facultate quouis modo corpori applicatus, veneni vim arcet, & eo infectos sanat: idq; non modò in illis præstare qui venenum hausissent, sed quibus etiam vel in stapede, veste, epistola, aut aliqua alia re, qua offendi posßint, positum fuisset, valdè vtilis est, eodem Serapione teste.

Hahamed *ii* Ebenririsus (magnus Astrologus, qui de lapidibus sub cœlesti aliquo signo aut planeta sculptis, & quibus facultatibus sint præditi, scripsit, in eo libello, quem de plantarum, lapidum & animalium in medicum vsum receptorum viribus composuit) ait: Lapis Bezahar confert veneno scorpionis, quando portatur in annulo, & inciditur in eo *kk* imago scorpionis

pionis luna existente in signo Scorpionis: & aspice quòd sit ascendens, deinde sigilla olibanum cum eo, luna existente in Scorpione, quod tritum datur patienti ad potandum, & liberabitur. Tantùm (addunt *ll* alii) valebit adversùs venena, quantum proprius ipse lapis.

Abdala Anarah *mm* (Medicus Arabs, qui Cordubæ vixit, eo tempore, quo Sarraceni Hispaniam obsidebant) vidi lapidem Bezahar filii *nn* Almirama manuum custoditoris legis Dei, & est verum quòd ipse emit lapidem istum, & dedit pro pretio lapidis palatium Cordubæ in principio Guerræ. Hæc Monardis paulò aliter & fusius: Abdala Narah, alius Mauritanus in Hispania natus, vir in Medica arte peritus, lapidem Bezaar, inquit, omnibus venenis aduersum, quod Miramamolinum Cordubæ Regem conspexi, cui venenum maximè perniciosum propinatum fuerat: sed lapide Bezaar sumpto, prorsùs à veneno liberatus fuit: eius deinde rei gratia, suum palatium illi dedit, à quo lapidem, quo sanitati restitutus fuerat, acceperat: regale profectò donum, quandoquidem Cordubense palatium Alcasar dictum, hodierno die valdè insigne adhuc esse, magnoque æstimari videmus, isque lapis valdè commendatus esse debuit, qui tanto pretio redemptus. Sic quoque Baccius *oo* refert, subiungens; hinc postea tanti æstimatum fuisse Bezoar, vt omnem medicinam morborum malignorum sæuitiá frangentem, per excellentiam Bezoarticum nun-

cupauerint, hoc nomine in hunc vſq; diem durante, eò quòd hominem à morte præſeruet, ac liberet. Et Ludouicus Guyon addit, Abdaram ex Rhaſi referre, lapidem hunc ſupra cor geſtatum, eum qui geſtarit, ab omni infectione & veneno præſeruare.

Rhaſis *pp*: Bezahar eſt lapis citrinus *qq* mollis, non habens ſaporem, confert venenis. Et ego vidi *rr* in eo ſufficientiam ad remouendum *ſſ* bix nocumentum Napelli, & toxicum verum: Et erat ille lapis, quem ego vidi, vergens ad citrinitatem & albedinem, habens colorem vini, & cum hoc erat lęuis & ſplendens, ſicut lumen, & iam *tt* vidi in eo de ſufficientia bix *uu*, illud quod non vidi in aliqua ſimplici medicina, imò etiam quod non vidi in Tyriacis *xx* compoſitis. Hactenùs Serapio.

Rhaſis *yy* agens de remediis contrà aſſumptũ Napellum, hæc habet: De his verò, quæ ad hoc multum valet, ſunt butyrum vaccinum, & lapis qui vocatur Bezaar *zz*, citrinus, vel rubeus, purus, & probatus, & Theriaca de viperis, & mithridatum. Oportet itaque, vt ſi vnum ex iſtis quatuor medicinis habeatur, citò ſuccurratur aliquid in potu de ea attribuendo.

Idem agens de venenis, quæ cor offendunt, & tota ſubſtantia noxia ſunt *aaa*: ſic inquit: O quàm parùm confert in eo cura, ni ſumatur Bezahar, reſiſtens ei, & ego quidem iam vidi, quòd reſiſtit Napello, qui eſt ex venenis, quæ ſunt deteriora, & quandoque confert ei diamuſcum recens,

cens,& theriaca diacyminus, licet non viderim eius in expulsione Napelli magnum iuuamentum *bbb*.

Idem *ccc*: quæ ad fel viperæ magis conferunt est Bezahar, si inueniri posset: & cap. sequenti: cui caudæ ceruinæ summitas data fuerit, auellanæ & pistacei,& Bezahar sumuntur.

Idem ait *ddd*, qui tenet venenum, aut morsum venenosum, suspendat in collo suo Smaragdum, aut corallium, aut lapidem Bezahar, & teneat in domo,&c.

Auenzoaris verba, suprà *eee* iam adduximus, quare non est, quod repetamus: quemadmodũ de ipsius usu ex eodem *fff* dictum fuit.

Auicenna *ggg* de hoc lapide nihil peculiariter scripsit, qui tamen (vt Monardis refert) cùm in Persiæ ciuitate Bacora natus, eius rei maiorem notitiam habere debuisset, quàm Mauritani in Hispania nati, qui adeò peculiarem eius mentionem fecerunt: is *hhh* enim de medicamentis, quæ propria facultate venenis resistunt, agens, in exemplum tantum producit Theriacam & lapidem Bezaar: dein vtrumque inter ea recenset, quæ sanitatem conseruant, & Spiritus corroborant, vt venenum propellere posint. Idem *iii* in Napelli cura tribus locis, his verbis commendat. Deinde cura eius principalis est Bezahar, & medicamen de moscho, & algeduar,& thus, & theriaca magna quandoq; confert in eo vsque ad terminum: & de melioribus rebus est, vt in potu detur moschus in fricatio-

ne Albezahard: aut quantitas drachmæ vnius de medicamine Muſchi, cum ſiliqua vna muſchi & exiſtimant, quidam, quòd radices capparis ſunt Bezahar napelli, & omnia Albezahard ſunt bona ei: & propriè illud quod ſimilatur Alumini, & fila habet, ſicut fila lithargyrii. At in cura fellis viperæ *kkk*, ſic ſcribit: Et illud quo ſuccurritur poſt vomitum, eſt Theriaca & Mithridatium: & Albezahar eſt ſublimis res ei. Refert Monardis, eodem in capite haberi: Lapidem Bezaar valdè vtilem eſſe, ſi reperiri poſsit; vnde appareat, quanta difficultate conſequi illum licuerit. Quare & Marſilius Ficinus *lll*, lapis Bezoar, ſi quis poſſet habere eum, ſuper omnia valet aduersùs venena, & Serapionis & Rhaſis teſtimonio. Idem Monardis ſcribit, apud Auicennam in capite de his, qui Napellum ſumpſerint, hæc tradi: Lapis vocatur Bezoar, colore flauus, purus & probatus, ad diſtinctionem videlicet adulterinorum, qui etiam illo tempore reperiebantur.

Auerrhois hæc ſunt *mmm*: Lapis de Becahan (alii Bezaard *nnn*, alii Bezaar *ooo* legunt) eſt valdè manifeſti iuuamenti omnibus ſpeciebus venenorum, & propriè morſui ſcorpionis, & eius doſis eſt quarta pars aurei vnius.

Raby Moyſes *ppp* agens de medicamentis ſimplicibus, eorumq́ue vſum quomodo morſuris omnium venenoſorum conferant, explicãs: Referam, inquit, meliores ex ſimplicibus medicinis apud nos repertis, & maioris iuuamẽti in pro-

propoſito: quorũ quidẽ experientia eſt à plurib. approbata. Ex his ergò eſt ſemẽ pomi citri, &c. & ex his etiam eſt Smaragdus &c. Et Galenus fecit rememorationem lapidis Bezaar animalis, & eſt ſimilis *qqq* glandi in figura, & color eius eſt valdè viridis: efficitur autem, vel generatur, paulatim ingroſſando, vel inſpiſſando, & ob hoc reperitur in eo cortex ſuprà corticem. Ferunt autem quidam, quod generatur in angulis quorundam Arietum versùs Oriétem exiſtentium. Alii autem dixerunt, quod in ſacculo ſeu burſa fellis prędictorum animalium generatur, quod quídem dicimus eſſe verum. Subiungit idem *rrr*, de Bezaare minerali, quæ ſuprà capite quinto adduximus, & nihil penitus profuiſſe aſſerit. Quod verò addit, de Bezaar animalis eſt relatum, eſt per experientiam pluries approbatum.

Modus *ſſſ* autem propinationis & præparationis ipſius eſt, quod SeKel, id eſt hexagium vnum, ex eo cum ſufficienti oleo diſſolutum, liquefiat in patella, & coquatur, donec octaua pars ipſius ſit conſumpta, & ſorbeat totum, ille qui morſus fuerit: & ſi eodem idem morſuram linierit, curabitur, & euadet auxilio Dei. Harum autem trium medicinarũ, eſt experimentum veraciter approbatum in omnibus venenis, tam animalium, quàm vegetabilium, quàm etiam mineralium: & ſunt iſtæ ſemen pomi citri, Smaragdus, & Bezaar animalis: Idem confirmat cap. 4.

Hali Abbas, à Monarde his verbis citatur: Haliabas tribus locis in quib. de venenis agit, lapidis Bezaar meminit, ſed ſuccinctè admodū: tenerum enim illum eſſe duntaxat dicit: deindè in aqua atteri debere, quæ ægris veneno affectis propinanda ſit. Hactenùs Arabes.

Arnoldus *ttt* Villanouanus: Scimus etiam, quòd lapis ille theriacalis, quem Arabes vocant Bezoar, non viridis, ſed gypſeus, qui de corpore repentis animalis extrahitur, in quantitate ſemi lenticulæ ſumptus in puluere, potentiſsimè liberat à veneno, cuiuslibet nociui animalis.

Nicolaus Florentinus ſub titulo de medicinis Bezaaralibus à venenis liberantibus, in genere agens, hunc lapidem valdè celebrat, eaque omnia dicit, quæ Serapio, Rhaſis, & Auerrhoës, nihil de ſuo addens.

Hunc Cardanus *uuu* ſic expreſsit: Nebrite gemma nobilior hoc, ſed non ei tam valdè diſſimilis eſt Pazar lapis, quem corrupto nomine vocant Bezar: gemma nec hic eſt, ſed mollis ac cinerei coloris, auellanæ magnitudine, omnibus venenis egregiè reſiſtit: hic eſt ille lapis ab omnib. laudatus, ac à nemine fermè cognitus, quem conſtat in Peli Orientalis Indiæ regione, ſolitum inueniri.

Matthiolus *xxx* pleraque quæ ex Arabibus in medium attulimus, recenſet.

Andreas Lacuna *yyy*: meminere Arabes lapidis cuiuſdam, quem Arabicè Bezahar vocant, id eſt, contrà venenum, quem prædicant, tanquam

quam admirabilem aduersùs omnis generis venena, & contra morſus animalium virulentorum, & tandem contra peſtem. Hic, prout referunt, ruffi coloris eſt, leuis & ſplendẽs, ſed mihi videntur confundere cum Bolo Armena legitimo, de quo verba faciens Galenus. &c.

Andreas Baccius *zzz*: Arabes teſtãtur hunc lapidem incomparabilem virtutem corroborandi cordis obtinere: aduersùs venena quoq; & febres peſtilentes, remedium eſſe præſtantiſſimum. Idem *aaaa*: ſcribunt, quod lapis Bezaar Arabum non ſolùm intùs aſſumptus, ſed etiam ſi à carne tantùm calefiat, virtutem ſuam promat, & vim indè cæleſtem ſpiritus inferat, quare & contra venena tueatur.

Marſilius Ficinus *bbbb*: Lapis Bezoar, ſi quis poſſet habere eum, ſuper omnia valet aduersùs venena, quod Serapionis & Rhaſis teſtimoniis & verbis adductis comprobat.

Cùm ex Hahamed Ebenririſo meminerimus lapidis Scorpionis imagine ſignati, placet ex Haly Rodoham Ægyptii commentariis *cccc* ea, quæ ad hanc rem faciunt, Heurnii *dddd* verbis ſubiicere. Nonnulli hic extra lineam excurrere videntur, cùm exiſtimant, ſe programmata ſyderum, gemmis & metallis inſculpere poſſe. Hæc opinio ex eo Ptolomæi libello, qui ὁ καρπὸς inſcribitur, nata mihi videtur: vbi ad nonum aphoriſmum affirmat Haly, ſecreta imaginum aperire Ptolomæum: nam, inquit, innuit peculiares rerum inferiorum formas συνοικειώσει à pe-

culiariter cœlitùs ſibi dicatis formis moueri. Sic cœlo hærens Scorpius,in noſtros hic ius naturę exercet: vt in ſerpentes,Serpens. Hinc imaginum magicarum ſtudioſi, lapidi formam ſuis negotiis ſtudentem cœlabãt, cùm iam iam planeta è radiis Solis emicans, ad hanc cæleſtis ſyderis formam proficiſcebatur. Tantam vim imbibebant, vt quodlibet negotium his, vel promouere,vel inhibere poſsint. Quin ipſe vidi Satellitem Romanum Geometriæ gnarum, qui, cùm diu habitaſſet Ægyptum, ex Chriſtiano Saracenus euaſit, temporibus Regis Camorchæ: hic (mirum) ſponte mobiles imagines fabricabatur. Euenit cùm ad ſatellitẽ eſſem,quòd obnixè eiulantem armigerum ſuum audiremus: ex ictu enim Scorpii grauiter dolebat: hic meus ille ſatelles in certam antidotum quid porrexit, vt id potaret: id gerebat characterem Scorpii,& thus olebat: quo hauſto,ilicò euanuit dolor. Hic ego, quidnã id eſſet, quod tàm commodam & ſalutarem preſsiſſet formam? ilico aureum obtulit annulum, qui Emblema gerebat lapidis Bezaar, cui inſculpta erat imago Scorpii. Rogabam,qua nam hora hanc ſculpſiſſet: reſpondit,Luna in Scorpione verſante,cùm angulum centrumque cœli attigiſſet, tuncque olibanum maſtiche imbutum ſe preſsiſſe affirmabat: quin aliis rebus inuſta hæc idea,æquè ac ſi thuri, hanc efficaciam exercebat. De his ſcripſit Thebir,& Albertus,&c.

Albertus enim *eeee* dicit, quòd imago aſtri Serpen-

Serpentarii alicui pretioſo lapidi inſculpta, venena fugat omnia: &, ſubiungit, quòd talis portatus, valet contra venena, & morſus venenoſorum: ac etiam ſi parum raſuræ de eo bibatur: & eſt talis imago aſtri ſerpentarii, vir ſerpente cinctus, cuius caput manus dextra tenet, ſiniſtra verò caudam. Scito ergo, quòd ſi hæc imago, alicui lapidi habenti proprietatem fugandi venena, fuerit inſculpta, multò præualebit.

Item dicit Conciliator, quod in libro Regum Perſarum ſcriptum reperit, quòd ſi quis ſculpere fecerit in lapide hæmatitis, virum genu flexum ſerpente cinctum, cuius caput teneat manus dextra, caudam verò ſiniſtra; feceritque lapidem ſic ſculptum in annulo alligari aureo: & ſub ipſo radicem apponi faciat ſerpentariæ, talis portatus annulus, ab omni veneno præſeruat: & quod ipſe de veneno timebat, fecit ſibi ad hunc vſum talem annulum fabricari, ut ipſe refert. Hæc Guaygnerius *ffff*. Sic verò Camillus, Leonardus *gggg*, Serpentarius eſt hominis figura habentis ſerpētum cinctum, tenentis in dextra caput, & in ſiniſtra caudā: eſt in ſigno Scorpionis & in Septētrione, naturam habet Saturni ac Martis. Virtus eius ſi in lapide ſculptus eſt valere cōtra venena, venenoſorum animalium morſus curare: & ſi lotura eius bibatur, facit venenum euomere, ſine læſione aliqua. Et Charel *hhhh* unus ex filiis filiorum Iſrael: Scorpionis ac Sagittarii figura ad inuicem pugnantium, ſi in aliquo lapide reperta fuerit, & cum ipſa ce-

ram impreſſeris, & cum ipſa aliquos tetigeris, maleuolos ac diſcordes beneuolos efficies, ſi in argento ligetur. Illud verò quod multorum ſermone ſcriptiſque confirmatum oſtendimus, thus quod ab eo lapide ſtatis tẽporibus inſculptam Scorpii effigiem receperit, vires ipſi lapidi pares obtinere, hoc inquam, vt dicam, quod ſentio, ſuperſtitione non vacat: quin potiùs, vt rectè Sarracenus, profanum eſt. Qui deſiderat plura de imaginibus ſeu ſigillis, ipſis lapidibus inſculptis, quæ ſimilitudinem habent conſtellationum cæli, imò hominis, vel alterius animalis, & quibus viribus pollere velint, is legat ipſum Ragiel libro alarum: ipſum Chael, qui vnus fuit ex filiis filiorum Iſraël antiquiſsimus doctor, qui cùm in deſerto eſſet, vidit ac ſculpefecit multas figuras, ſecundum figuras ſignorũ ac planetarum: ipſum Thetel, qui etiam vetuſtiſsimus doctor, de ſculpturis lapidum tractauit: & librum de Sigillis lapidum, qui Salomoni adſcribitur, quem dicunt filios Iſraeliticos in deſerto fuiſſe ſecundum curſum ſtellarum. Item Hermetis libellum quadripartiti, ubi quindecim imaginum meminit. Ex recentioribus Camilli Leonardi ſpeculum lapidum & Petri Artenſis librum de Sympathia ſeptem metallorũ ac ſeptem ſelectorum lapidum ad planetas. Lapides autem planetarii iuxta Balemis ſententiã ſunt, Turcheſia (plumbum, Saturnus) Carneolus (ſtagnum, Iupiter) Smaragdus (ferrũ, Mars) Adamas vel Saphyrus (aurum, Sol) Amethiſtus

(cu-

(cuprum, Venus) Magnes (argentum viuum, Mercurius) Chrystallus (argentum, Luna) qui rationibus superstitiosis, & Arlunsis, demonstratione physica probare conatur.

Hactenùs de lapide Bezaar ex Arabum sententia, quæ pleraque Monardes, & ex eo Hűblinus referunt: nunc ad eum, cuius hodie usus est, veniamus.

a Rheginus, & alii. *b* de peste, tract. 3. cap. 9. contrà Gabelchoferus agens de Bezaare Orientis, coloris varietatem & vires ex Serapione proponit. *c* Conciliator tract. de venen. cap. 82. est autem rubeus, puluerulentus, leuis vt spongia, & frangibilis, vt gypsum: & ex eo Guaynerius tract. de venen. cap. 7. a Bra: Fumanellus, de pestis cur. capit. 5. & ex eo à Bra. *d* Monardes lib. proprio. *e* Diomedes Amicus de peste cap. 46. eadem refert ex Rhasi & Serapione *f* drachma hausta ab omni tuetur corruptione; venenum namque ad se alliciens, sudore extrà propellit, Fumanellus serm. de peste cap. 5. & ex eo à Bra. *g* Sic conciliator, Petrus de Abano tract. de venen. cap. 82. & ex eo Iordanus de peste tract. 3. cap. 9. qui illum lapidem habet (gestarit secundùm Monardē) tutus est ab omni mortali veneno: teritur etiam & datur in potu de ipso drachma vna (hæc quoque à Bra habet) & per ipsum dicunt fuisse liberatum Regem Angliæ D. S. Eduardum, &c. Ex hoc Monardis lib. proprio, qui addit, nam cùm nunc morti vicinus esset, propinatum illi fuisse lapidem Bezoar, à Templariorum summo præfecto, ordinis, tùm magnæ existimationis valdeque opulenti. Sic Scillerus, granorum duodecim pondere, Arnoldo teste, venenum omne per sudorem deponit: Sic Valescus, inter medicinas ad venena est lapis Bezoar. *h* lib. 18 cap. 15. *i* in indice definit. medicinal. k in suo aggregat. de temp. simpl. cap. 386. ex quo Ardoynus lib. 1. de ven. cap. 8. Pandect. cap. 396. vsque ad vocem Alius: Nicolaus Florentinus & Conciliator, paucis mutatis, in sua retulere. Monardis in suo lib. de lapide Bezoar, quę Serapio de virib⁹ huius proposuit, recenset. kk Syluaticus pag. 90. *l* Ardoynus pro voce Alius,

lius,habet,authoritate Asii: Florentinus, loco alius,habet, & colores. *m* Cæsalp.2. de metal.46. Sic habet. Serapio tradit multos habere colores: nam inquit, quidam lutei sunt, quidam cinerei, alii subuirides, alii candicantes: probatissimi omnium lutei, deinde cinerei, qui ex Corasceni adferuntur: oriuntur in Syria, India, & Oriente, &c. *n* Florentinus sic legit, & pulucrulentus, & est qui participat, &c. *o* Conciliat. legit, Machaici: Pandect. & machachi, siue manibati. Arduynus verò, & nabati, & est ille, qui participat &c. *p* quidam colorem habent citrinum & veluti puluerulentum: quidam præditi sunt colore balio obscuro: nonnulli viriditate participant: sunt qui albedinis aliquid præ se ferunt: melior verò omnibus est citrinus, & post ipsum puluerulentus, sic Gabelcoferus. At Florentinus hoc modo: est citrinus: estque puluerulentus & minera, &c. *q* Conciliat. & Pandect. & in hoc differt ex Corascen cum Bezahar. *r* Pandect. in terra Syriæ. *s* Marsilius Ficinus in antidot. Epidem. cap.24. & ex eo Schnebergerus, ex Serapione & Rhasi sic recensent: oritur in Syria, in India, in partibus Orientis, estque diuersus trini coloris: nam quidam glaucus est & fuscus: quidam glaucus, fuscus, & viridis: alter verò albus, & æqualiter glaucus, videlicet similis colori vini albi clari, hic inter cæteros est optimus, leuis, delicatus, mollis, absque sapore, splendens, vt luna. *t* Sic Florentinus, operationibus: & est lapis multę humiditatis. *u* Conciliat. Chebori & marina. Pandect. Cobohori & marian: Ardoynus, cobhori & marian. *x* Conciliat. Chimedes: Arduynus, Chintos, aliàs chicos. *y* Pandect. multæ humiditatis, mollis tactu: Ardoynus, humiditatis, mollis tactu. Ita legit Cæsalp. lapis est valde lubricus, leuis & tactu mollis, mediocriter calidus. *z* eadem Gabelchoferus & Syluaticus. *aa* Conciliat. & Florentinus, duorum granorum: Ficinus, & ex eo Schnebergerus, duodecim granorum: Sic & Cęsalp. de metal. Heurnius de Peste, Gabelchofer: 12. grana in vino sumpta, Pancirollus. *bb* eiusdem effectus est, si supra serpentis morsum ponatur, facit omnino, vt nullum venenum tibi noceat. Pancirol. *cc* Florentin. venenosi, confert iuuamentum mirificum, reliqua interiecta omittit. *dd* Ardoynus addit: id est, calauron seu tafanus magnus niger, murmurans volando, & est sicut vespa. *ee* Sic & Gabel-

Gabelchoferus. *ff* Hæc etiam Ficinus l. c. ex Serapione citat. *gg* trium granorum, Florentinus: vel trium, addit Ardoynus. *hh* cap. 306. *ii* Sic Serapio & Syluaticus: Hamec Benreripho, legit Monardis lib. prop. at Ardoynus sic, ex Hahamed, & Abdala, narah omitt: Ficinus, & ex eo Schnebergerus, Hahamed habent, & omnia ea referunt. Syluaticus pag. 90. Hachamed Ebenterifi, legit. *kk* Conciliat. sic legit, Scorpionis signo Sagittario ascendente, deinde sigilla. *ll* Ficinus & ex eo Schnebergerus. *mm* Sic Serapio & Syluaticus: Abdalanarach, Matthiol. lib. 5. in Diosc. 73. Paræus, Lonicerus: Abdala Narach, Monardis: Abdalla hamarach, Ficinus, & ex eo Schneberger. Heurn. de peste. *nn* Pandect. filii Amamari custoditoris: apud filios Almirama, Fragosus: nobilis filii Mamari filius, Saracen. de peste: apud filium Calmiroma, Lonicer: Arabiæ quidam Princeps Almirama. Baccius: filium Mamari, Ficinus, ex eo Schneberg. Heurn. de peste: Almirama custodis legis, Paræus. *oo* de gemmis cap. 34. *pp* in suo continenti, ex quo Florentinus, Matthiolus 5. in Diosc 73. Monard lib. prop. Syluaticus & Cæsalpinus de metallicis ex Serapione hæc adducit. *qq* flauescens tener & insipidus, Monardis. *rr* Florentinus sic, & ego bis vidi sufficientiam in eo in auferendo nocumētum veneni. Et lapis quem vidi, &c. *ss* Pandect. vocem bix omittit: Ardoynus sic legit, ad auferendum nocumentum bix, & est toxicum verum, id est, Napellus. At Florentinus, Monard. Cæsalp. & Syluat. bis legunt, quasi velit Rhasis, se huius lapidis bis periculum fecisse, & aduersùs Napellum efficacissimum comperisse. Ludouic. Guion. lib. 5. diuers. lect. cap. 13. asserit, Rhasim non scribere quòd omnibus venenis resistat, sed expertum esse in infante, qui fortè Napellum commederat, cui parum huius lapidis exhibuit, eumque curauit. *tt* Pandect. vidi in eo sufficientiam illam, quam non vidi, &c. Arduynus, vidi in eo de sufficientia in bix, id est, Napello. *uu* Florentinus. bis. *xx* Florentinus, in medicinis compositis. *yy* lib. 8. ad Mansor. cap. 11. *zz* hæc etiam habet à Bra. *aaa* lib. 1. diuis. cap. 141. *bbb* hæc quoque habet Monardis lib. proprio, & Christ. Hueblin. *ccc* 8. ad Mansor. cap. 14. *ddd* lib. 2. contin. 2. authoritate Sarach, referente Ardoyno 1. de venen. 8. *eee* cap. 7. *fff* cap. 9. *ggg* hæc & Monardis lib. proprio. *hhh* cap. 42.

4.2.canonis. *iii* lib.4.fen.6.tract 1.sum.2.cap.1. kkk lib. 4.fen.6. tract.2.cap 12. *lll* in antidot. epidem. cap.24. & ex eo Schnebergerus. *mmm* 5.collect.55. quæ etiam habet Ardoynus lib.1.de venen.cap.9 vbi curam venenorum in genere proponit: Florentinus & Monardis. *nnn* Ardoynus. *ooo* Florentinus & Monardis. *ppp* lib. de venen.tract. 1.cap.3. hæc etiam habet Ardoynus lib. 1. de venen. cap. 9. vbi curam venenorum in genere proponit: & Monardis. *qqq* Sic & Ardoynus 1.de ven.10. *rrr* Raby Moyses l. c. & Ardoynus. *sss* Monardes lib. prop. ex Raby Moyse præcedentia & sequentia refert: at quæ hic habentur a voce Modus, vsq; ad Dei, omittit. *ttt* de dosibus theriacalibus: & ex eo Penottus. *uuu* 7. de subtil. & ex eo Iordanus, sed breuius, lib. de peste tract. 3. cap. 9. *xxx* lib.5. in Diosc.cap.73. *yyy* lib.5. in Diosc. cap.72. est antidotum, inquit, Io. Agricola, & ex eo Rheginus, contra veneni vim epotum efficacissimũ & prorsùs diuinum. *zzz* lib. de gemmis cap. 34. *aaaa* lib. de monocerote ab initio tertiæ partis. *bbbb* in antid. Epidem. cap. 24. & ex eo Schnebergerus. *cccc* in Ptolomæi centiloquium. *dddd* in sua meth. ad praxin. lib 3.cap.18. vide & lib.1.cap. 6. *eeee* lib. de imaginibus. *ffff* tract. de venen. cap.2. *gggg* de lapid.lib.3.cap.13. *hhhh* Camillus lib.3. cap.15.

DE LAPIDE BEZAAR RECENTIORVM.

CAPVT XVI.

LApidis Bezaartici, de quo nunc acturi sumus, Arabes primos, & primùm antè annos circiter quingentos meminisse, Baccius *a* asserit, Monardi *b* subscribens, qui Arabes, Latinobarbaros & recentiorum aliquos citat, vt Serapionem, Rhasim, Hamech Benreripho, Abdala narach, Auenzoarem, Auicẽnam, Auerroëm, Haly Abatem, Raby Moysem, Lacunam, Matthiolum, Valescum, Ardoynum, Amatum,

matum, Nicol. Florentinum, Agricolam, Montuum, Braſſauolam, Petrum de Abano, & Conrad. Geſnerum; quæ omnia etiam Chriſtophorus Hyeble in ſuum opuſculum Germanicum tranſtulit; & nos ſingula ſuis locis, ex ipſis auctoribus partim adduximus, partim adducturi ſumus.

Dicitur hic lapis, lapis Albezaar animalis Raby Moyſi *c*, & lapis Bezaar animalis, Arduyno *d*, ad differentiam mineralis. Vulgò Bezar, nomine corrupto, quem Indi & multi Luſitanorum, magis corruptè Bazar, Garzia *f* monente, quaſi dicas lapidem forenſem: nam Bazar eorum lingua, potiſsimùm apud Malabarenſes, forum eſt: cùm tamen Pazar *g*, vocandus eſſet, à Pazan, id eſt, hirco, in quo generatur, cùm Arabibus tum Perſis & Caraſone incolis, & aliquando in foro pro Pazar, aut Bezahar, quod ſignificat contra venenum, eodem auctore, vendunt *h*. Vnde mutuati *i* Arabes Bezar, Indi Bazar, promercalem lapidem dixerũt, cùm forum vbi mercimonia exercentur Bazar denotet, cui Pannonicum Watzar forum congruit.

Verùm aliter Garziæ innominatus Scholiaſtes; quomodo, inquit, Pazar à Pazan dictus? deinde friuolum pro Pazar, poſtea Bazar dictũ: hæc omnia ſunt anilia: lapis ille ab Arabibus vno ore vocatur Badzahar, id eſt, ἀλεξιφάρμακον: omnia enim quæ venenis reſiſtunt, Arabes vocabulo Perſico, Bedezahar vocant: hæc ille.

At Monardes *k*, Hager Arabibus, Bezaar Perſis,

Perſis, Bezar Indis, Alexipharmacum Græcis, contra venenum Latinis, Piedra contra veneno ij deſmayos, hoc eſt, lapis venena, & animi deliquia curans, Hiſpanis dici aſſerit: & Syluaticus vult, Arabes Hager appellaſſe, addens Hager & Bezaar idem ſignificare. Verùm Hager, Arabibus non de ſolo Bezaar, ſed de quolibet lapide dicitur. Hinc apud Serapionem, Hegeraſos, lapis aſius: Hager Iacot, lapis Hyacinthus: Hager Albezahar, lapis liberans à venenis, aliæque Hager ſiue lapidum differentiæ habentur. Communiter lapis Bezoar nunc nominatur: at in Alepo & ab Arabibus, Rauwolfio *l* teſte, Bazaor vocatur: Bezahar Orientale, Lacunæ: Pezar lapis ex India, Cardano *m*: lapis Bezoarticus, Mercuriali *n*.

Genera autem huius lapidis cum duo communiter ſtatuantur: alterum Orientale, quod ex India, Perſia, China, Ægypto, Cathaia, aut vicinis regionibus adfertur: alterum Occidentale, quod ex America & Peruuia aſportatur: de Orientali primò & diſtinctim agemus. Addunt & tertium ex Hiſpaniola.

a de gemmis: Boëtius, lib. 2. de lapid. cap. 192 & Ludouicus Guyon lib. 5. diuerſ. lect. cap. 13. *b* lib. de lapide Bezoar. *c* lib. 1. de venen. cap. 10. *d* lib. 1. de venen. tract. 1. cap. 3. *f* & ex eo Salmuth. & Syluaticus. *g* Iordanus de peſte, tract. 3. cap. 9. VVittichius, Gabelchofer in Baccium: Syluaticus. *h* Garzias, ex hoc Paræus, VVittichius: & Chriſtophor. à Coſta, Pazar Perſis, Indis Bezar, Arabibus Bezaar: Cæſalp. de metall. Pazar Perſis, Luſitanis corruptè, Baſar ſiue Bezar: Indi Pedro de Bazar, id eſt, lapidem fori indigitant. Linſcott. cap. 43. parte 4. Indic. *i* Iordanus l. c. *k* lib. de lap. Bezaar, ex quo Hyeblin & Sal-

Salmuth. *l* itiner. par. 1. cap. 8. p. 95. *m* libr. 2. de venen. 14. *n* de peste cap. 13.

ANIMALIS NOMEN.

CAPVT XVII.

ETsi Boëtius referat, Arabes Medicos lapidem hunc in Capriceruo reperiri, ante quingentos annos Rhasis testimonio scripsisse: attamen hactenus nec animalis nomen, nec ipsius formam speciémve apud Arabes inuenire potui: sic etiam inter recentiores hac de re non conuenit. Garzias namque *a* hirci genus esse, & hircum in Persia & Corasone Pazan vocari tradit: Amatus *b*, capram Indicam: Monardes *c*, capram montanam, & Ceruicapram nominat: Capriceruum à figura capri, & cerui parui simul iuncta, tale animal vocari, affirmat Baccius *d*: quare τραγέλαφος dici posset; Capram syluestrem, Lacuna *e*. At Cardanus *f*, capram certi generis, quæ nomine gentilitio Bulgoldálf dicatur, ex literis ab Antonio Barrio Lusitano, viro illustri, ad ipsum perscriptis, refert: magni capri nomen, Christophorus Acosta *g* illi dedit. Linscottus *h*, modò ouem, modò hircum, modò capram vocitat. At Iosephus à Costa, maiorem & speciei & nominis diuersitatem fecit: nam *i* Guancum & Vicugnem, hoc animal appellari scripsit: alibi *k* Tarucam nominat: alibi *l* vbi de lapide Bezaar ex professo agit, sic scripsit: in Xausa, & aliis regni Peru prouinciis, reperiuntur animalia similia, robusta & do-

mestica, cuiusmodi sunt Guanochi, & Pachi, & Vicugne, & Tarughe, quibus alii, & alterius generis adiungunt, & capras syluestres esse asserunt, quas Indiani Cypris nominant, &c. paucisq; interiectis subiicit: etiam in ceruis & Damis, lapidem Bezaar repertum esse.

a & ex eo Saracen. de peste. Paræus, VVittichius. Christ. à Costa. Cæsalp. de metall. Linscot. par. 4. Ind. cap. 43. Capri hi Persis Pazan. *b* centur. 3. curat. 74. *c* lib. 2. aromat. cap 1. & ex eo Salmuth. Fragosus. Syluaticus addit & veruecem. *d* tract. de gemmis cap. 34. Syluaticus tract. de lapide Bezoar. *e* in Diosc. & Hueblin. *f* lib. 17. de varietat. rer. 97. *g* de medicam. Indiæ Orientalis cap 21. *h* in nauig. in Indiam Orient. part 4 cap. 43. *i* Lib. 1 histor. Indiæ cap. 21. & ex eo Syluaticus. *k* lib. 4. cap 40. *l* lib. 4 cap 42.

FORMA ANIMALIS.

CAPVT XIIX.

ANimal hoc *a*, vt referunt qui ex illa regione redeuntes illud conspexerunt, Ceruo valdè simile, cùm magnitudine, tum agilitate, & aliis notis, exceptis quibusdam partibus, quibus cum capra magis conuenit: siquidem veluti capra cornua bina in dorsum valdè reflexa habet (vnde nomen capræ montanæ inditum) lata, in extremo mucronata: pilos breues habet, coloris cineracei, cui rufedo admixta, quamuis aliorum etiam colorum in iisdem montibus reperiantur. At Garzias *b*, hirci genus rufi aut alterius coloris, mediocri altitudine, & se rufum & pręgrandem Goæ vidisse scribit.

bit. Sunt qui *c* figuram parui cerui & capreoli tribuant.

Quare cùm partes quaſdam habeat cum Ceruo & Capra communes, commodius Ceruicapra *d* vocari poſſet, cerui enim inſtar *a* agile eſt, celeris curſus & ad ſaltum pronum, adeoq́ue ferox, vt interdum Indos etiam occidat; acutiſsimi *e* auditus, vocis gemebundæ: in antris viuit, vtriuſque ſexus mas & fœmina, gregatimq́; incedunt. Alii cerui *e* proceritate, ſed forma hirco ſimile dicunt: alii hirco *f*, aut magno arieti, coloris ruffeſcentis. Ioſephus Acoſta *g*, ceruum imitari, abſolutè ſcriptum reliquit. At Christophorus Hueblin (ex relatu Ioannis Hartmanni Hyruſs, qui tale animal in India vidit) refert, Capram hanc ſylueſtrem noſtris nõ abſimilem eſſe, niſi quòd pulchrior & maculis rubris aut nigris aſperſa ſit.

Refert prætereà Monardis, ſibi animal quoddam huic ſimile conſpectum, quod ex longinquis regionibus per Africam generoſo Archidiacono Nebienſi delatum, magnitudine cerui, capite & ore ceruino, agile inſtar cerui, pilis & colore ceruino ſimile: corporis forma capram referente, nam magno Hirco ſimile, hircinos pedes habens, & bina *h* cornua in dorſum reflexa, extrema parte contorta, vt hircina videantur, reliquis autem partibus ceruum æmulabatur. Illud autem, addit, admirandum, quòd ex turre ſe præcipitans, in cornua cadat ſine vlla noxa, perinde atque pila vento plena ſubſul-

tans ac resiliens. Vescebatur herbis, leguminibus, pane, omnibusque cibis oblatis: robustum & firma catena vinctum erat, quia omnes funes, quibus ligabatur, rodebat ac rumpebat.



CORNV ANIMALIS BEZAAR IN *India Orientali generantis.*

Ast Ludouicus Guyon *i*, Theuetum citat, huic animali vnum tantùm cornu tribuentis. Et quia C.Clusius *k* cornu & figuram & descriptionem exhibet, eadē hîc quoque subiicere lubet, ne quid quod de hoc lapide & animali apud auctores reperitur, omisisse videamur.

Cæterum, ait Clusius, mihi persuadeo, non futurum ingratum, si huic scholio, eius animalis, in cuius vētriculo celebratus ille lapis Bezar, in Orientali India generatur, cornu & vngulę icones

nes adiicerem, expressas quidem, curante Iacobo Gareto, aromatario Londinensi, qui eas ad me Francofurtum usque mittebat, permittente verò Generoso viro Waltero Raulæo, cui obtigerant in parte prædæ earum rerum, quæ in prætoria illa naui ex Orientali India reuertẽte, & à naucleris Anglis occupata, aduehebantur.

Erat verò illud cornu (cuius longitudinem non significabat) nigri coloris, incuruum, inferna & crassiore parte, qua capiti adhæserat, cauum (qua nota singulis annis, nõ decidere, coniecturam faciebam) foris inæquale & multis tuberculis obsitum, instar ferè cornu ceruini, supernâ parte læuius, & in obtusum mucronem desinens.

VNGVLA EIVSDEM ANIMALIS.



Vngula autem nigra etiam erat, & breui fissura discreta, pilisque magna ex parte tecta: sed cuius coloris, non erat additum. Hactenus Clusius.

a Monardes lib. de Bezaar. & Carolus Gallus lib. de feb. pestil. tract. 1. cap. 29. *b* lib. 1. arom. cap. 45. *c* Baccius de gemmis, cap. 34. *d* Clusius: Camer. in Emblemat. *e* animal rufum ferunt cerui proceritate, Iordan. de peste tract. 3. cap. 9. ex hirci quodam genere, Salmuth in Baccium. *f* Ryff. pharm. restaur. *g* in histor. Indiæ lib 4. cap 42. *h* cornua habere dicitur duo ex fusco colore nigra & ferè recta, leuiaque non absq; gyris & nodis caprearum, quam Germani Gemsen vocant, cornibus satis similia. Boëtius lib. 2. de lapid. cap. 192. *i* lib. 5. diuers. lect. cap. 13. k notis in Garziam.

LOCVS VBI ANIMAL HOC REPERITVR.

CAPVT XIX.

EST quidem regio, in qua animal hoc degit, ipsa India ab omnibus, ut rectè Syluaticus, constituta: sed cùm Indiæ nomine, non modò antiquorum India, sed & vniuersus is terrarum tractus, qui à Columbo primùm apertus, & ad Occidentem positus, multis ac variis prouinciis distinctus Indiæ nomine donetur, in vtraque Indiæ parte, Orientali scilicet & Occidentali, animal hoc reperiri, similiter omnes consentiunt.

Indiam Orientalem Serapio *a* indicauit, & recentiorum nonnulli subscripserunt: sic & Indiæ Occidentalis partes, præsertim Peruuianam prouinciam, recentiorum plures, & inter hos, qui illas perlustrarunt, illis addiderunt: nouam Hispaniam, Iosephus Acosta *b* adnumerat. Verùm non in omnibus harum regionum prouinciis, sed in quibusdam tantū reperitur, quare par-

re particularius loca ab auctoribus expressa subiiciamus. Et licet Christophorus Acosta *c* in variis Indiæ Orientalis prouinciis reperiri asserat, Garzias *d* tamen Persiam & nonnulla Malaccæ loca expressit, & ex Persiæ prouincia Corassone, & nonnullis aliis Indiæ locis adferri, scribit: addens, Indos in Sinarum regionem transferre, inde in Moluccas, & ex Moluccis Calecutũ, vbi maior sit illorum negotiatio. Quare Persidi inquilinam dici refert *e* Iordanus: & ex Persia, Constãtinopolim & Callicutho in Lusitaniam deferri, Richardus *f* asserit. Sic in Pan regni Malacensis prouincia frequens, Garzia & Linscotto testibus: hic & in Patane *g*, quæ est ad terram Sian, etiam haberi, quemadmodum & in capo Singabura, scribit.

At non solùm in Persia animal hoc reperitur, verùm etiam in India *h* maiore trans fluuium Gangen, in quibusdam montibus Chiæ *i* vicinis, quam Ptolomæus ab vbertate & opulentia adeò celebrat, certis montibus Sinarum regioni vicinis, trans auream Chersonesum *e* ad Comarini promontorium, qua ad Chinarum regionem itur, è cuius ventriculo lapides execti in nostrum orbem transferuntur: hæc *e* Iordanus: nam cùm in exercitus annonam istic multi pręgrandes hirci mactarentur, in eorum ventriculis magna ex parte hos lapides repertos esse, Garzias asserit. Testatur quoque Rauvvolfius *k*, se in Alepo inter cætera vidisse lapidem, quem Bazaor vocant, quem Persæ ex peculiari

generere Hircorum, eorum in regione vulgariũ, ſumant.

Auctor eſt Chriſtophorus Hueblin, ex relatu Hartmanni Hyruſz, lapides hos ex tribus locis Goam & Cochin adferri: ex regno Syan, & vicinis locis, qui in India optimi cenſeantur, quia ſunt omnium ponderoſiſsimi: & admiratione dignum, quod ferè omnia pretioſa ponderoſiora ſint ea in regione, quàm in aliis Indiæ locis, quòd non ſolùm in hiſce lapidibus, ſed etiam in Adamantis ſit expertus: ſiquidem Adamantes, licet aliis magnitudine pares ſint, ponderoſiores tamen multò ſunt iis, qui ex Biſnaga, ex regno Narſinga, non longè à Goa & Cochin ſita, adferuntur: Alii, addit, ex Ormus ſinu Perſico adferuntur, quos etiam magni faciunt. Tertii, ex Inſula Vaccarum adportantur, qui viliſsimi cenſentur: quamuis omnes in Oriente, Aſia, Arabia, & Perſia in magno pretio habeantur: hæc ille. Et Chriſtophorus Acoſta *l* Corrazan Vaccarum Inſulas, vltra caput Commorin dictum, iacentes, quæ in Oriente ſunt, addidit. Sic Hartmannus Hyruſz *m* affirmat, ſe in vrbe Cochin à Stephano Aluo diuite & primario mercatore, multos eiuſmodi lapides emiſſe, qui eos ex Inſula Vaccarum non longè à S. Thomę ſita, attulerat. Et Linſcottus *n*, inuenitur in Vaccarum Inſula ad ſinus Cambaiæ oſtium tractui continentes vicina, quam Luſitanica claſsis ſubinde aquandi gratia adit, interfectis tamen multis hircis, in quibus hunc lapidẽ inueniunt.

Frago-

Fragoſus, ex Aluari Mendez, Commendatoris S. Iacobi teſtimonio ſcribit, illum in Arabia tales ſæpiùs vidiſſe, eſſeque duum generum, quorum vnum melius, ex fælici Arabia: & alterum non tale, ex Vaccarum Inſula magis verſùs Septentrionem, adſeratur.

Cùm ergo tanta ſit regionum diuerſitas, in quibus vnius, eiuſdemque generis animal viuit, quis non cōcedet, vt rectè Syluaticus, poſsibile eſſe, vt aliqua in illius corporis forma, eiúsque colore & cornibus differentia reperiatur? niſi fortè is, qui ignorarit animantium corpora ob aëris vim, aquarum varietatem, paſcuorum diuerſitatem, immutari poſſe. Nónne Hippocrates *o* in Scythia Boues ſine cornibus ratione ſoli inueniri dixit? Ab animalibus, plantis, & herbis eiuſdem omnino generis & ſpeciei, quæ cùm in Orientalibus, tum in Occidentalibus locis viuunt, & feruntur, exemplum deſumat, qui voluerit: in eisque, licet eiuſdem generis & ſpeciei ſint, diuerſitatem tamen aliquam in colore, in magnitudine, & aliis animaduertet, & huius rei teſtimonia apud ſcriptores, cùm antiquos, tum recentiores, inueniet. Sic equos, boues in Europa, neque genere, neque ſpecie differre dixeris, attamen in pleriſque regionibus in colore, magnitudine, aliiſque conditionibus inter ſe differre, notiſsimum eſt.

Inſuper, lapidem hunc in diuerſis etiam animalium ſpeciebus, in prædictis regionibus viuentibus concreſcere, Syluaticus affirmat, &

hoc ipsius naturæ principiis minimè repugnare, & artem medicā hoc idem vt possibile concedere, asserit. Eadem errata, ex quibus lapidem in animali dicto gigni docuerunt illi, si animalia bruta diuersæ speciei se commiscuerint, eandem herbā si comederint, quid prohibeat, quò minùs idem effectus in his euenire possit? Vnum hoc tanquam necessarium supponendum est, huius diuersæ speciei animantia, in eo genere vniuersali conuenire debere, vt cum communi eiusdem naturæ participent, eodem quoque cibi genere vtantur: secùs, neque eodem modo lapidem illa congererent; vires, in genere saltem, easdem non haberet, cùm tamen herbæ illius medio, lapidem vim Alexipharmacam acquirere voluerint, vt infrà pleniùs dicetur. Hoc Iosephus Acosta *p*, apertè testatur: insuper affirmans, omnia animalia lapidem hunc gignentia, in hoc conuenire, quòd ruminent, & in niuosis & saxosis depascantur. Aëris igitur, pascuorum & aquarum diuersitas, in eiusdem generis & speciei animalibus, cōditiones aliquas diuersas, & accidentia varia parere possunt. Possunt item diuersæ speciei animalia, vnum eundemque lapidem, in partibus internis colligere: quem quidem lapidem iisdem de causis, diuersitatē in conditionibus suis tam externis, quàm internis, essentialibus & accidentalibus, suscipere contingit: sicuti etiam in sua facultate. Sed antequam lapidis huius conditiones proponamus, lubet ostendere, quàm diuersa sit aucto-

rum

rum opinio, circa locum, in quo lapidem hunc generari volunt: quæ tamen neque impoſsibilia, neque inter ſe contraria, neque lapidis Bezaar dignitatem minuere poſſe, Syluaticus credit.

a in ſuo aggregat. de ſimpl. cap. 386. *b* lib. 4. cap. 42. *c* de med. ex India Orientali cap. 21. *d* 1. arom. 46. & Linſcottus. *e* de peſte, tract. 3. cap. 9. Lacuna: in Perſide Sarracenus. *f* in epiſtola ad Epiſcopum Strigonienſem. *g* Linſcottus part. 2. Indiæ Oriental. cap. 24. *h* Fragoſus de arom ex India cap. 10. *i* Chinarum regioni finitimis, Salmuth. *k* in ſuo itinerario. *l* de med. Ind. cap. 21. *m* in lib. Chriſtoph. Hueblin. *n* in 4. parte Indiæ cap. 43. *o* in lib. de aëre, aquis & locis. *p* lib. 4. hiſt. nat. & moral. Indiæ cap. 42. & ex eo Syluaticus tract. de lapid. Bezaar.

LOCVS IN ANIMALI vbi Lapis hic reperiatur.

CAPVT XX.

ETſi lapidem hunc in animalis corpore genitum, indeque extractum, recentiores affirment: horum tamen aliqui, nec animal, nec partem, in qua reperiatur, definiunt, ſed ex animali quodam eximi tantùm ſcribunt: alii, ex repentis animalis *a* corpore: alii, ex capra *b* montana, ex capra quadam *c* Indica. Alii partem deſignant, ventrem *d* animalis: alii, ex ventre animalis *e* cornigeri: ex viſceribus *f* Indici animalis. Alii, ex ventriculo capreoli *g* Perſici: capræ *h* ſylueſtris: capræ *i* montanæ: capræ *k* Perſicæ. Alii, ex ventre *l* capræ Indicæ: capræ *l* ſylueſtris: ouis *m* aut hirci, aut capri. Alii, ex ventri-

ventriculo *n* hirci in Perſide: ex animali hirco *o* ſimili. Alii, ex burſa *p* fellea arietum in Oriente: alii, ex maſculorum *q* caprarum veſiculis felleis. Alii, ex corde *r* animalis cuiuſdam: ex corde capræ *ſ* ſyluestris. Alii denique, ex renibus *t* quarundam caprarum montanarum: ex interioribus *u* inteſtinis, aliisq; cauis corporis partibus, eximi tradunt.

Generatur ergo lapis hic, in internis partibus & cauitatibus, potiſsimùm autem in ventriculo: non autem in maiore ventriculo, ſed in prouentriculo *x*, in quem pabulum maiori ex parte reponitur, & ad meliorem coctionem præparatur, in quo eiuſmodi lapides, nonnunquam nouem, decem, pauciores aut plures, pro ratione ætatis animalis, inueniuntur: vel vt Garzias & Monardes ſcribunt, etiam Camerario *y* referente, lapis hic in ventriculo, vel potiùs in receptaculo quodam faſciæ modo formato, & ventriculo parte interiore adhærente, reperitur. Et quidem vt referunt (Cæſalpino monente) propè meatum, vnde pabulum ruminatum in alterum ventriculum trãſmittitur. Sed ex quánam materia generatur?

a Villanouanus de doſibus theriacal. ex quo Penottus in præfatione ſui denarii. *b* Fragoſus ex Geſnero de capra ſylu. refert. *c* Montuus ex Amati ſententia. *d* Saxonia de plica. cap. 59. & de febrib. cap. 37. *e* Mercurial. de venen. & ex eo à Bra lib. 1. *f* Baccius lib. de gemmis cap. 34. *g* Bodinus lib. 2. theatri. *h* Monardes: Richardus: Lonicerus ex aliorum ſententia: VVittichius: Hublin, qui addit, & nonnunquam quibuſdam aliis, quoque locis: Abrahamus Luſitanus, referente Manlio ad Cratonem epiſt.

pist. 191. Cæsalpin. lib. 2. de metall. cap. 46. *i* Garzias: VVittichius: Salmuth. *k* Lacuna in Dioscoridem. *l* Amatus cent. 3. cur. 74. & 83. & ex eo à Bra. *m* Linscottus in nauig. in Indiam Oriental. par. 4. cap. 43. ouium vel caprarum quarundam, Arthus. *n* Paræus, Rauvvolffius: VVittichius ex Garzia. *o* Garzias: ex eo Sarracenus: Iordanus de peste tr. 3. cap. 9. Rauvvolff. par. 1. cap. 6. Paræus lib. 20. cap. 37. in hirco simili animali vtplurimùm inuenitur. *p* Raby Moyses tr. 1. cap. 9. ex eo Ardoynus 1. deuenen. 9. & 10. Monardes tr. de lap. bezoar. *q* Manlius ad Cratonem, ex Brudi Lusitani epist. 191. *r* ex stomacho vel corde, Amatus lib. 2. in Diosc. 39. Andernac. com. 2. dialog. 5. *ſ* Chaimatus, citante Arnoldo Manlio ad Cratonem, epist. 191. & ex hoc à Bra. *t* Fragosus, ex relatu Aluari Mendez. *u* Monardis lib. proprio. Sic Vlmus, de occultis in remedica lib. 4. cap. 5. non dubitandum quin hic lapis sit in syluestrium caprearum quarundam intestinis repertus. Et Nancelius in analogia microcosmi cum macrocosmo lib. 4. cap. 2. in aluo capreæ cuiusdam agrestis progigni accepimus. *x* bursulam in ventriculo natam, Petrus de Osma nominat. *y* in emblemat. *z* lib. 2. de metall. cap. 46.

MATERIA HVIVS Lapidis.

CAPVT XXI.

Etsi huius lapidis materiam Arabes, qui de eo scripserunt, non expresserint, & recentiores ipsius essentiam particulariùs non videantur explicasse, quia lapis omnis Bezaar, quisquis ille fuerit, terream & crassam habeat substantiam, quæ omnium lapidum vniuersalis materia, ab Aristotele, Theophrasto, & aliis omnibus, qui de lapidibus scripserunt, constituitur: Attamē cum Syluatico in huius lapidis materiam paulò pleniùs inquiramus.

Cùm

Cùm lapis hic instar terræ in subtilissimum pollinem teri possit, substantiam eius terream esse patet: at cùm res plures sint, quæ terræ ipsi, ex qua lapides fiunt, materiam suppeditant, vt est terra ipsa, quá pedibus calcamus, succi plantarum, aquarum, metallorũ, & rerum aliarum quam plurimarum: idcircò Bezaaris materiam terream, Herbam quandam esse recentiores affirmant, vt Monardis *a*, & Iosephus Acosta *b* tradidere.

Verùm non tantùm herbam, sed etiam venenum commestum, materiam terream huic lapidi suppeditare, Monardes *a* his verbis recensuit: Opinio est, quod ex veneno tàm pernicioso à prædicto animali deuorato, & ex iillis herbis adeò salutiferis depastis lapis Bezaar generetur.

At Garzias *c*, herbæ non meminit, sed lapidem hunc circum paleam quandá tenuissimam semper augescere, & veluti è multis tunicis contexi, refert: testatur id se à viris fide dignis accepisse, omnes in Persia collectos, simili modo circum palleolam efformatos inueniri: se suis oculis obseruasse affirmans, lapidem huiusmodi cõtritum, tenuem paleam in meditullio continere: quasi innuere voluerit, humores in lapides conuersos, circa palleolam illam coaceruari. Hæc etiam Marcelli Donati *d* opinio, volentis hoc ipso Fernelii sententiam de calculi generatione comprobare, quòd videlicet omnis principium suum in renibus habeat. Quod tamen

men perpetuum non est, cùm sæpè in eius medio puluisculum, vel etiam granum quoddam reperiri, infrà ostensuri sumus. Et vt Gallus *e* in veri lapidis cauitate, animula quædam latet, quæ & ipsa quoq; splendidissima & aurata est.

Sed hoc tanti faciendum non est, quasi idcircò lapidis materia talis non sit, siquidem dici posset ex herba commesta humores genitos, & circa illam paleam coaceruatos, in terream illā lapidis substantiam commutatos esse.

Quod verò aliqui Serapionis *f* auctoritatem, difficultatem causare existimant, quod is lapidis huius essentiam, non ab aliqua terræ specie, neque ab aliqua herba, aliáue re commesta produci affirmet, sed eius materiam metallicā constituit, dùm eius mineram in terris Syri & Indiæ, & in terris Orientis esse admonuit: quibus manifestè refutatur id, quod ex communi sententia receptum esse ostendimus, scilicet in animalis cuiusdam interioribus lapidem hunc gigni: verùm, cùm & auctoritatem & sensum suprà *g* explicauerimus, eò Lectorem relegamus.

Sed ad rem: lapidis Bezaar materia essentialis ergò erit, ex venenis deuoratis, & ex herba quadam post commesta, postmodùm in animalis ventriculo, in lapidem simul concretis. Si enim Medici rectè statuerunt, lapideæ materiæ generationem in hominis aut animalis bruti parte aliqua fieri, quia excrementum aliquod terreum & crassum, à calore partis (in qua lapis concrescit) aduritur, & sic in lapideam substan-

tiam

tiam conuertitur; cur non etiam ex aliis rebus commestis, crassum & terreum excrementum gignentibus (vt sunt venena, & herba peculiaris) in eiusdem animalis ventriculo, lapis Bezaar pariter subcrescere posit? Ad hoc respondent, rectè quidem Medicos de homine id pronuntiare, non verò de brutis: hominis enim appetitum ad pleraque talia, eaque diuersa, præter rationem & necessitatem, comedenda sæpissimè incitari, ex quibus frequentissimè lapidibus materia suppeditetur. Sed in brutis secùs fieri, cum iis à natura insitum, & vt tantùm cibum sibi familiarem assumant, & solùm in ea quantitate quæ ipsorum nutritioni sufficiat. Quòd si modum excedant (rarissimè autem animalia, præsertim quæ cicurata sunt, excedunt) ægrotare quidem, sed rarissimè in iis lapides concrescere.

Verùm hæc causa vnica videtur esse, quòd non ex alia re, quàm ex venenis, & herba illa ab animali Bezaar generantis, commestis, lapis ille gignatur: quòd hæc sit materia natura sua apta ad excrementum crassum & terreum producendum, & quòd fortè hisce plus quàm par sit, vescantur, ad quod etiam inuita impelluntur: nam cùm venena, quæ deuorant, minimè nutriant, in excrementa conuerti necesse est. Sic & herbas cuiuscunque generis sint, præsertim quæ hortenses non sunt, vel quæ minimè nutriunt, excremẽta multa producere, notius est, quàm vt probatione indigeat.

Sed

Sed quòd nimia quantitate herbas deuorent, causa esse potest, quòd postquàm venena ad satietatem deuorarint, & ab iis se lædi celerrimè senserint, mortemque timentes, ad herbam salutiferam, & quidem naturali instinctu, (quemadmodum canis ad gramen caninum, Cynogrostin dictum; & ceruus sagitta petitus, ad Dictamnum) deuorandam, statim accurrunt, & valetudinis recuperandæ, vitæq; seruandæ desiderio, impelluntur: & cum iis saturentur, in ventriculo eorum excrementa cruda colliguntur, quæ lapidi materiam aptißimam subministrant: quæ omnia ex Monardis & aliorum testimonio confirmabimus.

Boëtius *b* materiam lapidis tantum succum herbarum aromaticarum & salubrium in montibus nascentium, censuit; cuius hæc sunt verba. Materia vnde lapis generatur, herbarum est succus viscosus & terrestris, aut si mauis dicere, terrestris herbarum succus in humorem resolutus: quæ si aromaticæ & salubres fuerint, lapidis augent vires: si insipidæ vt gramen, lapídem nullius facultatis proferunt: quod Indis optimè notum est. Nam animalium in planis locis degentium lapides flocci faciunt, tanquam ad rem medicam inutiles. In montanis verò legentium ad venena, aliosque ad morbos difficillimos sanandos, in maximo habēnt pretio. In montibus enim herbis odoriferis, ac quæ ad varios morbos vtiles sunt, victitant. Nunc generationis modum subiiciamus.

a lib.2. hist.simpl. ex India cap.1. *b* lib.4. nat.hist. & moral Indiæ, cap.42. *c* lib.1. de aromat. cap.45. *d* de hist.med mirab.lib.4.cap.3. *e* de feb.pest.tract.1.cap.29. *f* in tr.de simpl.ex miner.desumpt. *g* cap.5. *h* lib.2.de lapidib. cap.193.

GENERATIONIS modus.

CAPVT XXII.

QVod suprà de Ceruis scripsimus, eos serpentes deuorare, & saturos ad calorem ingentem attemperandum, aquæ frigidæ se immergere, & ibi donec calor ingens sublatus sit, nihil bibendo persistere: illud quoque Monardes *a* de Ceruicapra, ex qua hodiernum Bezaar extrahitur, refert. Posteaquam enim ea, quæ Plinius *b* de Ceruis scripsit, quæ superiùs etiam adduximus, narrasset, subiungit, Clusio vertente.

Istæ Ceruicapræ in India eadem agunt, quæ Plinius de Ceruis scripsit: ferarum enim antra subeunt, & anhelitu suo animalia noxia educunt, & vorant: deinde ad loca aquosa se conferunt, in quibus se mergunt, donec veneni vim extinctam esse sentiant, ab aquæ potu prorsùs abstinentes. Deinde aquâ egressæ, multas salutiferas & insignium facultatum herbas, per aruum depastum eunt, quas naturali instinctu venenis resistere cognoscunt: eaque ratione naturalis caloris auxilio, ex veneno ab illis deuorato, & depastis herbis, virtute quadam specifica infusa, generationis tempore in internis ipsius animalis

animalis partibus, & aliis cauitatibus, magni & parui lapides generantur.

Et Christophorus Acosta *c*, Orientalis lapis hic, in ventriculis animalium dictorum generari creditur, & quidem mediante quarundam herbarum virtute, quæ iis in regionibus, in quibus hæc animalia reperiuntur, proueniunt, & ab ipsis depascuntur.

Sic Iosephus *d* Acosta: referunt Indi, quemadmodum à maioribus suis accepêre, in prouincia Xausa, & aliis regni Peru locis, multas esse herbas & animantia venenata, quæ & aquas, ex quibus bibunt, & prata, quæ depascuntur, anhelitu suo inficiunt: inter herbas has, vnum esse valdè salutarem, quam Vicugna, & alia animalia quæ lapidem Bezaar generant, naturali instinctu deuorant, se hoc modo à veneno tàm aquarum, quàm pascuorum, præseruantes, ex qua herba, lapis in eorum ventriculo generatur: mox subiicit: hanc opinionem esse Indorum, quæ à Peruuianis probetur, quod sanè ratione non careat, & cum eo, quod Plinius de capra montana refert, conuenire, quod nimirum herbas venenatas depascantur, & non inficientur.

Apud Insulæ Vaccarum incolas, opinio recepta, lapidem hunc ex herbis quibusdam depastis generari, eoque genito, morbidas & scabiosas reddi: quæ animalia, licet lapidis conquirendi causa non interficerentur, nihilominùs morerentur, vt Hyeblinus, ex relatu Hartman-

ni Hyrusz refert: hicque ex Stephano Aluo, earum regionum mercatore, & in simplicibus Orientalibus versatissimo, cognouit: quemadmodum etiam calculum humanum, omnibus aliis lapidibus, tam contrà venena, quàm alios morbos præferendum esse. Addit insuper, vt plurimum in annosis & scabiosis capris reperiri, & quo seniores & scabiosiores sint, tanto maiores & pulcriores in iis lapides reperiri.

Quare ex sententia eius, qui Gualteri Ryffii pharmaciam reformatam auxit, pro certo habendum, lapides hos ex herbarum optimarum succo, præsertim earum, quæ in montibus copiosè proueniunt, nasci; cùm lapides ex iis, quę in planitie pabulantur exempti, tantarum virium non esse affirment; & quo capræ hæ diutiùs viuunt, tantò lapides, cùm indies incrementa sumant, maiores fiunt. Hinc Libauius *e*, creditur ex cibo fieri nobili, quo quæ non victitant, non generant nobile. Et Camerarius *f* asserunt, lapidem ex capris montanis ablatum præferri, cùm sit ob pabulum odoratissimum plantarum aliis multò præstantior. Quòd verò virtute singulari herbarum illarum depastarum generari, creditum sit, causam Linscottus refert, quia in nullis aliis locis istiusmodi inueniri certum sit, etsi animalia specie eadem alibi frequentia reperiantur. Hinc Manlius ad Cratonem *g* scribit, se ab Abrahamo Lusitano cognouisse, lapidem hunc gigni ex certa herba nostris regionibus insueta, & in Persia tantùm, & Insula

ſula Vaccarum Indiam verſùs cognita.

Refert Boëtius *h*, Imperatorem Rudolphum II. oui anſerini magnitudine aut paulo maiorem habuiſſe, è quo poculum dum confici iuſſiſſet, in ipſius meditullio herbæ eximiè redolentes (circa quas cruſtæ & laminæ ſuperinductæ à natura fuerant) repertæ fuerunt.

Retulit mihi nobilis Auſtriacus, ſe dùm in Hiſpania viueret, cognouiſſe, animalia hæc, poſtquam ſerpentes deuorarint, radicem, quam contra Yerua, id eſt, contra venena Hiſpani vocant, comedere, & ex ſerpentis & radicis mixtione, lapidem hunc gigni.

Hanc autem radicem, Nicolaus Monardes *i* deſcripſit: eſt autem Iridis radicibus valdè ſimilis, ſed minor (multis filamentis oblongis, ſubflauis, prædita, cuiuſmodi plures habemus, & Cyperum longum odorum Peruanum in Pinace noſtro nominauimus) ficulnei folii odore, quæ ex Charcis Peruana prouincia aduehitur; Hiſpani, Indias inhabitantes, cõtrà Yerua, quaſi dicas, Alexipharmacum appellant: quoniam earum puluis ex vino albo ſumptus, aduersùs omne venenum, (vno ſublimato excepto, quod ſola lactis potione extinguitur) præſentiſsimũ remedium ſit, vomitione illud reiicere faciens, aut per ſudores euacuans. Sed & amatoria pocula, eo puluere hauſto, reiici ferunt: ventris etiam animalia pellit. Guſtata radix, aromaticum quiddam cum acrimonia cõiunctum ſapit: quare calida ſecundo gradu videtur. Hæc Monar-

dis, C.Clusio *k* transferente. Et sanè radix hæc, hodie apud Hispanos lapidi Bezaar præfertur, eiusque grana aliquot contra venena exhibentur: qua & ipsi Florentini in morbis contagiosis vtuntur.

Lubet & hoc ex Salmutho *l* per transennam aspergere, quòd nonnulli animal istud serpentibus quoque vesci, partimque in succum & sanguinem, partim in lapidem Bezaar eos conuertere asserunt: quò mysticè declaretur, ab iis vitiis, vel rebus etiã aduersis, quibus alii succumbere, aut omnino perire solent, viro forti, ac virtute prædito, nihil periculi metuendum esse, sed eum insuper inde propter constantiam & recti iudicii robur magis confirmari & spiritus alacriores conquirere. De quibus extant Gregorii Nazianzeni versiculi è Græcis ita Latinè facti.

Grauibus nihil mouetur incus pulsibus.
Infracta casus mens repellit anxios.

Idemque hoc Emblemate Camerarius *m* expressit.

Nulla venena probis vitii, fortisq; malignæ,
Obsunt: quin potiùs robora dant animis.

Sed vt de lapidis materia concludamus, quòd si quispiam dixerit, herbæ hunc in modum depastæ, quidpiam à natura insitum esse, cuius occasione succus eius facillimè in lapidem conuertatur, non abs re, meo quidem videre, dixerit: Ad quod statuendum, mouent ea, quæ Plinius *n* de Lithospermo refert, his verbis: Inter omnes

omnes herbas lithoſpermo nihil eſt mirabilius: aliqui Aegonychon (exonticon habet Ægineta) alii Dioſpyron, alii Heracleos vocant: Herba quincuncialis ferè, foliis duplo maioribus, quã rutæ, (oleæ habet Dioſcorides *o*) ramulis ſurculoſis, craſsitudine iunci; gerit iuxta folia ſingulas veluti barbulas, & eorum in cacuminibus lapillos candore & rotunditate margaritarum, magnitudine ciceris, duritia verò lapidea, ipſi, qua pediculis adhæreant, cauernulas habent, & intùs ſemen: naſcitur & in Italia, ſed laudatiſsimum in Creta. Nec quicquam inter herbas maiore quidem miraculo aſpexi: tantus eſt decor, veluti aurificum arte alternis inter folia candicantibus margaritis: tàm exquiſita difficultas lapidis ex herba naſcentis.

Hæc ſanè a Plinio propoſita in herba, quæ vulgò Lachryma Iobi, vel Moyſis, vel Iodoci dicitur, & Lithoſpermum arundinaceum vocare ſolemus, pulcrè obſeruantur, ſiue hanc Plinius exprimere voluerit, ſiue non. Hæc eſto lapidis Bezaar in ventriculo animalis concreti materia.

Modum generationis *p* eleganter Boëtius expreſsit: Generatur, inquit, lapis in marſupio prædicti animalis ſucco herbaceo ac terreſtri, à tenuioribus partibus ſecreto: cui dum portio ſucci terreſtris ipſius animalis accedit, paulatim humido expreſſo concreſcit in lapidem terreſtrior pars. Quæ, ſi ſimilis ſuccus non ſtatim ſit præ manibus, leuore obducitur, lapilli formam

induit, & quandam in extima sui parte polituram recipit. Huic accedens postea circumquaq; (absolutis naturæ coctionibus) noua materia, noua crusta inducitur, crassa vel tenuis pro affluentis materiæ quantitate: quæ iterum exsiccata & indurata, alia crusta obtegitur: idque toties à natura fit, donec ad iustam quantitatem venerit lapis, aut materia augendo lapidi idonea, non amplius à natura suppeditatur. Nam aliquando excrescit ad oui anserini qnantitatem: paulatim enim augetur, donec animal intereat.

a lib. de lap. Bezaar, & ex eo Fragosus. *b* lib. 4. natur. histor. cap. 42. *c* cap. 21. *d* lib. 4. natur. histor. cap. 42. *e* singul. part. 3. lib. 4. in Schol cap. 1. *f* in emblemat. *g* epist. 191. *h* lib 2. de lapid. cap. 191. *i* de medic. Indiæ occid. cap. 17. k Et ex hoc Lugdun. historia lib. 18. cap 46. *l* in Pancirollam, quæ ex Camerarii emblem. desumpta. *m* Cent. 2. embl. 62. *n* lib. 27. cap. 11. *o* lib. 3. cap. 158. de lithosperm. *p* lib. 2. de lapid. cap. 192.

QVO TEMPORE GENERETVR, ET DE HVIVS lapidis laminis.

CAPVT XXIII.

LApidem hunc, Veris ac æstatis tempore, ex herbarum quarundam succo, quibus Capræ illę victitant, congregari affirmant: at autumno & hyeme accedente, alio pabulo deficiente, lapidem hunc ruminare & pro pabulo vti. Rem ita se habere, ex eo probari inquiunt: quòd eædem capræ Veris principio, aut

hyemis

hyemis fine, (æſtatis fine habet Lonicerus) captæ, lapide prorſus careant, cùm tamen autumni principio (æſtatis fine Lonicerus) notabilem ſemper habeant: hæc Richardus refert. Nunc de Laminis.

Concreſcit initio circa paleam quandam tenuiſsimam ex pabulo ruminato (vel vt Paræus, in formam coaguli ſenſim aggeritur circa feſtucam laminatim) ſucco ambiẽte in cruſtam friabilem tranſeunte, ſemper augeſcens, cum temporis proceſſu, ſuccus alius atque alius (vt in fine præcedentis etiam capitis oſtendimus) ſuperueniat, ita vt lapidis coagmentatio per cruſtas, (alii laminas, cortices, pelliculas) tunicas, ſquamas vocant) fiat, veluti è tunicis multis contextus, vt Garzias *a*, & alii omnes tradidêre. Miro ſanè naturæ artificio, ut rectè Monardes *b*, per laminas ſeſe mutuò amplexantes amplificatus & compoſitus, vt in cęparum putaminibus & inuolucris, videre eſt: quo pacto *c* & veſicæ calculos omnes principio à renibus ducto, pedetentim ſuccreſcere, auctor eſt Fernelius: ſemper enim in medio & in cẽtro lapillum habent rubentem, cui mucoſa materia ſenſim iungitur, & lapis quotidie augetur. Ea enim ratione generari, obſeruare licet, ſi lapidem contritum inſpicias, in eius enim medio, huiuſmodi paleam tenuem, monente etiam Garzia, inuenies. Imò *d* ſæpe laminæ ſeu cruſtæ fractæ apparent, vt in meditullio herba aut feſtucæ fragmentum, quæ lapidis generationi baſin præ-

bet, appareat, & conſpectui ſe præbeat.

Sunt autem laminę hæ adeò lęues, ſplendentes *e*, vt ſingulæ magna arte expolitæ videantur, ita quidem, vt lamina etiam exteriore ſublata, altera, quæ ſubeſt, ſplendidior multò conſpiciatur: & quò vlterius *f* progreſſus fit, clariores & ſplendidiores apparent: & vt Gallus *g*, laminæ quam plurimę ſplendẽtes auratæ & contiguæ: hæ *h* pro lapidum magnitudine, vel craſſiores, vel tenuiores ſunt, quo enim maior, tanto craſsior cortex eſt, & è contrà, vt Hyeblinus ex relatu Hyruſz tradit.

Huius rei rationem Syluaticus hanc reddit: quod cùm lapides hi in animalis ventriculo per additionem creſcant, vt in omnibus pariter animalibus lapides gignentibus, quæcunque illa fuerint, euenit, eadem materia quarumcunque tunicarum exiſtente, ab eodem calore elaborata, eiuſdem etiam omnino coloris, ſoliditatis & conſiſtentiæ vt ſint, neceſſe eſt. Intimæ verò, propter maiorem elaborationem ſplendidiores euadunt: prior enim ſecundæ, & ſecunda tertiæ, ac ſic deinceps in elaboratione cedit, cùm quæ priores ſunt, maiore ſemper elaboratione fruantur, etiam ob minorem materiæ quantitatem, quam habent. Sed notandum, hunc ſplendorem internum, Orientalium tantùm proprium eſſe, quorũ laminæ ſolæ & etiam externæ ſplendeant. At occidentales, quorum laminæ ſiue tunicæ eundem prorſus in modum, vna ſuper aliam contextæ ſunt, cum ſplendore ex-

terno

terno careant, eiuſdem coloris cum exterioris tunicæ ſuperficie, internas tunicas habent. Vtcunque ſit, externi cuiuſuis coloris, vltimæque ſuperficiei conſiſtentiæ, quæquę illa fuerit, eiuſdem & internas laminulas eſſe, ſi dixeris: iam omnia, quæ in coloris externi diuerſitate & nitore, cùm in Occidentalibus, tum in Orientalibus iſtis lapidibus, determinata ſunt, dixęris. Vniuerſalis ergo regula conſtituenda, vt laminæ omnes, tam externæ, quàm internæ & penitiores, eundem colorem & nitorem, eandémque conſiſtentiam habere debent: ſi lapides genuini fuerint.

Et licet extrinſecus denſior ac ſolidior videatur, vbi tamen rumpitur, & fragilis & poroſus apparet, ſine aliqua arenoſitate: & ſi inter dentes ponatur, diſſoluitur, ac ſi panis cruſtula eſſet, Richardo referente. Hinc Monardis *i* lapis hic tener eſt, & alabaſtri inſtar radi poteſt, & ſi diutius in aqua hæreat, diſſoluitur: quem in ſenſum, mollitiem & lenitatem huic lapidi à Serapione attributam eſſe, dici poteſt. Verùm antequam reliqua accidẽtia perpendamus, aliquam veri lapidis deſcriptionem ſubiiciemus.

Genuinus Bezahar in magnitudine & figura varius eſt, ſed cæruleus & ſplendidus, vel ad colorem Melangenæ maturæ, aut corticis caſtaneæ, quamplurimis ſplendentibus, auratis & contiguis laminis præditus, in cuius cauitate quędam animula latet, quę & ipſa quoq; ſplendidiſsima & aurata eſt, & quæ à nemine vnquã

fingi

fingi poteſt, ſi bene animaduertatur: aliquando verò huius lapidis color citrinus eſt, nec minori virtute primi præditus. At qui cinericeo eſt colore, Occidentalis eſt, qui licet ſpernendus non ſit, virtute tamen Orientali longè inferior eſt.

a lib. 1. arom. cap. 45. & ex eo Sarracenus & VVittichi⁹: ſic & Linſcottus, & ex hoc Arthus. *b* lib. proprio, & ex eo VVittichius, Salmuth, Ryff. reformat. & Syluaticus. *c* Iordanus de peſte tr. 3. cap 9. & Gabelkhofer. *d* Boëtius lib. 2. de lapid. cap. 191. *e* Monardes, Cluſius, ex his Syluaticus. *f* Paræus. *g* lib. de feb poſt tract. 1. cap. 29. *h* Monardes lib. propr. & ex eo VVittichius, Salmuth & Syluaticus. *i* lenis & blandus, Salmuth.

DE FORMA LAPIDIS.

CAPVT XXIV.

CVm lapides hi differant forma, colore, magnitudine, pondere & denſitate, primùm de eorum figura ſeu forma exteriore agemus.

Etſi omnes vtraque extremitate obtuſi ſint, non mucronati *a*, (quare Iudaico lapidi ſimilem aliqui *a* dicunt) & plerique *b* ſint oblongi glandis effigie (imò & formâ, & mole, vt plurimum glandem referre, ſunt *c* qui velint) formâ tamen multum variant: nam modò glandem quernã *d* æmulantur, & quidem abſque ſui capula *e*: alii *f* forma columellæ ſunt: alii oſsiculi dactylorũ *g* inſtar, oblongi ſunt, paulò tamen *h* craſsiores: alii *i* caſtanearum formam imitantur, vna parte ſeſsiles, & altera gibbi: alii *k* triangulares: alii rotundi, tanquam *l* orbiculi, vel vt *m* auellanæ & nu-

& nuces: alii ſubrotundi: alii columbarum ouis ſimiles: imò renis *n* figura. Refert Monardis ſe vnum habere, qui renem hœdi perfectè referat, qualem & nos apud Collegam noſtrum D. D. Felicem Platerum vidimus. Cardanus *o* ſic formam expreſsit. Fabæ longitudine & altitudine, ſed latitudo tanta eſt, quanta craſsities, vt fructum Ricini quaſi, niſi quod longius eſt, referat: rectus eſt lapis, formamq́ue columnæ habet, leuis, ſed mollior etiam quàm leuis. Verùm admonet Rauwolfius, reperiri, qui illis nec forma, nec bonitate conferendi ſint: quare ſtudiosè curandum, ne quis à Iudæis Alepi degentibus, qui hos quoque vendunt, decipiatur.

Verùm quòd tanta ſit horum lapidum in figura varietas, nemini mirũ videri debet: cùm, vti ſuprà monuimus, lapides hi ex accidente, in internis dictorum animalium partibus, & illis quidem diuerſis concreſcant, figuram hanc vel illam propriam habere haud poſſunt, imò facillimè hanc vel illam acquirunt. Quod exemplo à lapidibus in hominum renibus, veſica, tam vrinaria, quàm bilaria genitis, ſumpto, comprobari poteſt. Hactenus de forma.

Quoad ſuperficiem, magna ex parte læues *p* ſunt, & æquales *q* (vel vt Iordanus, lapis hic glaber, læuis, ſplendore coruſcus) foris elegantiſsimè politi. At quòd Orientales lapides inſigniter ſplendeant: Occidentales ſplẽdore careant, ab omnibus ſine diſcrimine affirmatum obſeruatumq́ue fuiſſe, Syluaticus aſſerit. An verò natura

tura sua tales? Refert Hueblinus, ex relatione Hyrusz, natura sua pulchros & splendentes non esse, sed ita poliri, seque artem hanc à Iudęo in Cochin didicisse, Hyrusz asserit: qua de re etiam infrà.

a Dresserus lib. de partib. corp. Monardis, VVittich. Salmuth. Gyon: Boëtius lib. 2 cap. 191. *b* Amatus, Garzias, ex hoc VVittichius, Cæsalp. metall. *c* Saracenus de peste. *d* Iordan. tract. 3 cap. 9. *e* Richardus, Lonicerus, Paræus, addunt ferè. *f* Garzias. *g* Paræus. *h* Iordanus l. c. *i* Monardis, Iordanus, Ryffius, Boëtius. *k* Christ. Acosta. *l* Monard. & Iordanus. *m* Ryff. *n* Rauvvolff. Iordanus; & Boëtius. Carolus Gallus de febrib. pest. tr. 1. cap. 29. *o* Cardan. 17. de variet. rer. 97. *p* Saracenus: & in Alepo læues, Rauvvolffius. *q* Linscott.

DE COLORE LAPIDIS.

CAPVT XXV.

QVemadmodum lapides hi forma variant, sic etiam colore varii sunt (licet parum *a* referat) & quamuis plerique *b* ex viridi nigricent, siue *c* atrovirentes, vel *d* obscurè, vel dilutius *e* virentes, vel virore subfusco nigrescentes, aut colore *f* herbaceo nigricante, aut pallescente sint, reperiuntur tamen fuluescentes, cinericei, subobscuri ad cœruleum tendentes, ex albo *a* cinerei: aut *g* subcinerei (atrocinerei *h* rarius) instar Malorum, quæ insana, vel Melanzana Italis dicuntur: siuè vt Lacuna, coloris legitimi oliuastri, aut qualis Varingenarum: vel coloris *i* fului ad fuscum inclinantis, vt castaneæ colorem æmulari videantur; siue spadicei; vel vt Paræus, nunc sanguinei, nunc mellei,

lei, aliàs ſubflaui, ſępiùs tamen viridis nigricantis, qualis in felibus *k* zibetum fundentibus lucet. Quare Monardes *l* pleroſque dicit eſſe felini coloris, hoc eſt, venis illis prædlti, quibus diſtinctæ feles Aligalium excernentes, ſaturi videlicet cinericei; vel vt Cardanus *m* cinerei coloris, ſed rubiginoſo mixti, cum ſplendore, vt quaſi gemma videatur: ad colorem *n*, & quaſi ſpeciem ferri, igne perpoliti. Agnoſcit Heurnius *o* glaucum, fuſcum, viridem, album, qui aliquantulũ glauceſcit. At rubrum, putrilentum nunquam conſpexit Iordanus, niſi friabilem, læuitate non pororum raritate, ſpongiam referentem. Vt plurimum tamen eos, ex nigro vireſcentes *p* affirmauit, & quidem rectè, Monardes: quod quidem ratione haud carere, cenſuit Syluaticus: ſiquidem horum lapidum colores varii, cauſam manifeſtam habeant. Nam ſi ex collectis cruditatibus, propter venena & herbam illam manducata, ab illius animalis ventriculi calore interno in lapidis ſubſtãtiam mutatis, dicti lapides fiunt: hos ſanè iuxta maiorẽ, minorémve cruditatum humiditatem, variámque mixtionem, magis minúsve à calore elaboratam, colorem varium acquirere contingit. Humidior enim cruditas, à minore calore elaborata, albedinem ſuſcipit: minus humida, in quam maior & intenſior calor egerit, nigredinem acquiret. At ſi herbæ illæ maiorem partem cruditatum fecerint, color viridior euadet: at minus viridis, ſi vnà cum herbis, aliæ res cruditatem

tatem maiori ex parte fecerint. Hæc faciliùs credet, qui lapidum, qui in hominibus concrescunt, varii coloris causam, aliquando contemplatus fuerit. Credent etiam iidem, rectè Monardem dixisse, lapillos illos vt plurimũ ex nigro virescentes esse, si considerauerint herbas à dictis animalibus manducatas, in veneni iam assumpti remedium, in lapilli materia maiores partes habere: eam ob causam, quia ad vitam fugientem retinendam, maiori cum auiditate, & etiam ad satietatẽ multam, manducantur. Cùm autem herbæ viridis coloris sint, talem ideo colorem cruditates retinent. In his dein cùm calor intensus agat, & præsertim ob venena ante assumpta maximè auctus, cruditas illa viridis aduritur, quandoque etiam intensius, propterea color niger facillimè introducitur, qui cum viridi mixtus, colorem ex nigro virescẽtem constituit. Orientalium hac de causa lapillorum istorum, multò plures Occidentalibus, eiusmodi coloris esse contingit, quia calor in illis animalibus Orientalibus, regionis occasione maior est: cùm Occidentales cineritii coloris, cum nigrore aliquo admixti maiori ex parte sint, quia materia albidior est, & minus à calore elaborata, propter animalium calorem minorem, & quidem regionis frigidioris causa. Hactenus de colore.

a Hueblin. *b* Garzias, ex eo VVittichius, Hueblin, Salmuth. Boëtius. *c* Rauvvolff. *d* Linscottus. *e* Christoph. Acosta. *f* Cæsalp. de metallis. *g* Saracenus. Boëtius. *h* Ryff. addit, multos flauos reperiri. *i* Saxonia de fe-

de febrib.peſtif. 37. *k* cinerei obſcuri vt in felibus zibetum egerentibus, Salmuth. *l* lib. prop. & ex eo VVitt-chius. *m* 17. de rerum var. 97. *n* Richardus, & Lonicerus. *o* de peſte, & ex eo à Bra. *p* interdum flaueſcens & ſubuiridis, plerunque pullus, ſpadiceus, rauus, aut ex viridi nigricans, Boëtius lib. 2. de lapid. cap. 191.

DE ODORE ET SAPORE.

CAPVT XXVI.

ODor huic nec gratus eſt, nec etiam ingratus, vt rectè Garzias *a*; quare omni odore deſtitui, aſſerit Lonicerus.

Saporem quod attinet, etſi Sarracenus *b* ex Garzia referat, ſaporem primo ſtatim occurſu haud iniucundum, ſed diutius ore contentum, graueolens & hircinum quiddam reſipere: attamen Cardanus *c* Scobem ſaporem vllum referre aſſerit; & Richardus, ſaporem illi nullum, vel potius gratum tribuit: & à Caſtro *d*, inſipidum præfert.

a & Sarracenus de peſte. *b* de peſte. *c* lib. 17. variet. rer. 97. & Lonicerus. *d* de morb. mulieb.

DE MAGNITVDINE & Pondere.

CAPVT XXVII.

VT verò figura & colore hi lapides differunt, ſic etiam magnitudine, pondere & ſubſtantia variant: Etenim licet *a* magnitudine pares ſint, pondere *b* tamen diſcrepant: quare alios aliis leuiores, alios aliis ſolidiores

videas. Et quamuis magni & exigui inueniantur, magni tamen rariores sunt, & ab illarum regionum illustribus viris, Garzia *c* scribente, expetuntur ob id, quod eos valentioris facultatis esse, sibi persuadeant.

Syluaticus scribit quosdam Pomum Arantiũ æquare, quæ magnitudo, Garzia monente, rara admodum & peregrina. Rudolphus II. Imperator, oui anserini magnitudine, aut paulo maiorem habuit, Boëtio *d* teste. Oui magnitudine corticosum, ducentis coronatis à reducibus ex India redemptum, Ill. Baro à Bollwyl habuit. Refert Amatus *e*, oualis ferè magnitudinis, Ill. Dominam Beatricem à Luna, Venetiis à nobili Lusitano, qui apud Indos prorex fuit, centum & triginta aureis ducatis emisse.

Hîc lubet adponere, quæ Ferrantes Imperatus præstantissimus apud Neapolitanos pharmacopœus, Anno 1609. 1. Maii ad me inter cætera perscripsit. Intellexi te scribere de Bezaari animali Indiæ quadrupede, quare de re profectò admiranda te monere volui: vtpote Cardinalem Burgensem ex Hispania ad nostrũ Summum Pontificem misisse lapidem Bezaar (si ita eum appellare eum liceat) admirandæ magnitudinis, ponderis decem librarum, naturalem, non factitium, rotundum, cinereum, corticibus non donatum, quemadmodum parui habent: non credo esse ex animali Bezaar, quod scribunt esse magnitudinis Capræ, sed alterius animalis corniger multo maioris. Nec existimes dictum lapidem

pidem manu factum & falsum esse, quemadmodum reperiuntur aliqui compositi ex puluere veri lapidis Bezaar, & radicibus eius herbæ, quę ab Hispanis vocatur Contra Hierua, simul iunctis cum Gummi Arabico: quæ herba multum prodest contra febrem pestiferam, venena & quidem bono cum successu exhibetur. Visum ergo fuit de hac re te admonere, cùm mihi videatur res rarissima, nihilominus vera, cuius rei testis sum, &c. Sed ad rem.

Vtplurimum, scribit Gallus *f*, instar paruæ pilæ aut castaneæ magnitudine.

Maximi oui gallinacei amplitudinē vix excedunt, plerique vt oua columbarum, & exiliores reperiuntur *g*. Ludouicus Gyon *h* ex Theueto refert, vidisse ipsum Cairi apud Patriarchā Græcum, magnæ nucis magnitudine, quo ab Arabe capitaneo, Christiano facto, fuerat donatus: addit, rem miraculosam fore, si tantæ magnitudinis reperiretur. Nuce auellana paulò maiorem, rex Cochin inter pretiosa dona, maximi muneris loco, Regi Lusitaniæ in prima expeditione misisse (qui omnîum primus à Lusitanis in Hispaniā illatus fuit) Amatus & Fragosus scribunt. Verùm rectè Sarracenus, columellæ, aut glandis molem vtplurimum refert: sic quoque alii *h* amygdalæ, alii fabæ magnitudinem æquant. At maiores, à regionis primatibus asseruantur, & quod maximè notandum, in maioribus potius dolus contingit.

Proditum est *i* illarum regionum venatores,

adeò peritos ac exercitatos esse, vt ex solo animalis intuitu, quænam magnum vel paruum lapidem gestent, diiudicare possint: quæ enim maiores habeant, minus agilia & subtristia esse: quin imò si ex iis animalibus aliquod mortuum reperiatur, lapidem valdè magnum gestare, indicium certum esse.

Pondere quoque variant, inueniuntur namque, qui quindecim & duodecim drachmas pendent, imò ponderosiores adhuc reperiri ferunt: drachmarum quinque Garzias habuit: Syluaticus admonet, multò plures circumferri minores, vnciæ communis pondere minores, plus minúsve. Verùm drachmæ vnius, scrupulorum duorum, & drachmæ dimidiæ pondo reperias: imò Hueblinus refert, ex Insula Vaccarum adferri, quorum quindecim, viginti & plures vnciam vnam non superent: in Goa verò & Cochin, vnius vel duarum drachmarum, & etiã ponderosiores haberi.

Quod verò horum lapidum magnitudo & pondus variet, nemini mirum videri debet, siquidem non semper eadem materiæ quantitas, ex quibus lapides hi generantur, in omnibus animalibus colligitur: nec quoque eorundem prorsus idem auctionis tempus existit. Etenim à materia copiosiore, maiorem, à pauciore, minorem procreari necesse est. Sic cùm lapides hi per materiæ accessionem in animalis ventre augeantur, prout longiore, breuioréve temporis spatio in animali subsistunt, maius minúsve

incre-

incrementum acquirunt. At magnitudinis,seu augmenti huius metam quandam esse, ratio suadet: sin secus,in immensum excrescere possent: quæ sanè meta, à maiore vel minore latitudine loci in quo gignuntur,dependet. Quare & pondere varient oportet: quamuis huius varietatis causa,in eorundem soliditatem quoque referri posit, cùm horum aliqui substantia sint densiore, siue materia compactiore, aliqui minus densa, iuxta maiorem vel minorem caloris in eorum materia actionem:idcirco Orientales, Occidentalibus solidiores sunt. Posse tamen in vna eademque regione, alios aliis solidiores esse, ex Serapionis supra adducto testimonio, probari potest, dum asserit, horum lapidum quendam in India esse multæ humiditatis, leuem ac mollem, molliciei sine superfluitate; quam humiditatem & mollitiem ad tactum, Syluaticus minorem duritiem & siccitatem interpretatur, cùm lapides omnes in genere duri & sicci sint.

a Ryff. phar. *b* Salmuth. *c* ex eo VVittichius: Ryff reform. item Cæsalp. de metallicis. *d* lib. 2. de lapid. cap. 191. *e* 2. in Diosc. enar. 39. *f* de febr. pest. tr. 1. cap. 29. *g* Cæsalp. de metall. *h* lib. 5. diuersar. lect. cap. 13. *i* Syluat. p. 87. k Acosta, Salmuth, Ryff.

DE PRETIO LAPIDIS.

CAPVT XXIIX.

CVm magnitudine & pondere lapides hi non conueniant, & de successu eius miraculoso, mira prædicentur, mirũ non est, si

vno eodemque pretio non veniant. Quare, Monarde referente, horum pretium variat; apud Calecutos namque tam ingens pretium, vt legitimus lapis coronatis aureis quinquaginta, perinde atque Hispali æstimetur: & Garzias *a* scribit, vnum drachmarum quinque, in Lusitania sexaginta quatuor aureis Lusitanicis (qui Clusio monente, vndecim Vngaricis æquipollent) venisse: Et Amatus, vt ante quoque monuimus, vnius meminit, qui 130. aureis ducatis emptus fuit.

In Goa & Cochin, pro vncia, viginti, & vigintiquinque Taleri, aliquando plùs, aliquando minùs persoluuntur, prout vel pauciores, vel plures vnciam constituunt: Lapides verò vnius vel duarum drachmarum, & etiam maiores separatim venduntur, ita vt Æthiops albus, Ethnicus, Turca aut Iudæus, pro eleganti lapide, quinquaginta & centum Taleros faciliùs persoluat, quàm Lusitanus, Venetus, aut Armenus, quemadmodum Hueblin ex relatu Hyrusz, scribit. Quare rectè Iordanus *b*, raritas, & insani, qui in emendo fiunt, sumptus, solis Regibus & Imperatoribus ferè vernas fecit, idcirco ad viliora nobis migrandum erit.

Et Linscottus *c* scriptum reliquit, in Insula atque vrbe Macau, ditionis Chinensium, lapidem hunc per Masas vendi, & quamlibet Masam Bezaris, duobus tribúsve ducatis venire, prout magnitudine & bonitate excellunt. Et Boëtio *d* anno 1600. solet ad pondus in inferiori Germa-

Germania drachmam vnam pendens Orientalis, duobus Ducatis vendi, in Germania superiori quatuor: Occidentalis verò, dimidiato pretio: dum magni sunt, quia rari & à Principibus ad ostentationem desiderantur, ad libitum venditoris pretium intenditur.

a ex eo VVittichius. *b* de peste tract 3. cap 9. *c* 2. part. Indiæ Orient. cap. 27. *d* lib 2. de lapid. cap. 194.

AN LAPIDES HI adulterentur.

CAPVT XXIX.

CVm de lapidis huius successu miraculoso, & quasi remedio ad omnes grauissimos morbos conuenientissimo, multi multa at quam rectè haud scio) prædicarint, mirum non est, si lapidis huius dignitas & pretium creuerit: ita vt etiam, ob spem lucri, lapides plures, arte ad naturalium imitationem conficiantur.

Si enim Serapionis *a* tempore, lapides multi & quidem naturales reperti fuere, lapidi Bezoari similes, qui tamen proprietatibus & effectibus huic non correspondebant, quã ob causam, vt idem asserit, multi errarunt, quis mirabitur auaritia & malitia hominum crescentibus, si dixerimus hoc seculo artificiales pro naturalibus obtrudi? quam ob causam Bezaaris vsus (de vero non loquor) non modò inutilis, sed etiam periculosus euasit.

Quare dicimus cum Augenio *b*, verum & ge-

nuinum, non modò admodum rarum, ſed rariſſimum eſſe: ideoque Medicis ſedulò inuigilandum (modò eius vſum planè neceſſarium crediderint) ne ab hominibus improbis, qui deſiderio lucri ſæpiùs vnum pro altero vendere ſolent, decipiantur: cùm & Matthiolus aſſerat, ſe iam dudum plures lapides ſimiles vidiſſe, ſed an veri, an adulterati ſint, ſe neſcire: imò, ſi Serapionem & Rhaſin conſulat, non videre ſe, cur lapidem hunc legitimum eſſe probet. Adauget ſanè difficultatem, quod in ipſiſmet regionibus, in quibus lapis Bezaar ex animali colligitur, tales arte conficiantur, ita vt dolus difficulter, niſi lapis comminuatur, detegi poſsit. Quare meritò Baccius *c* veretur, ne Arabiæ vel Orientis mercatores auaritia ducti, arte quadam adulterent, & colore quodam obducant, quemadmodum & aliis rebus Chymicis vſuueniat: & ſæpè, addit, falſos, ſi frangantur, fruſta dura terræ coctæ, aut gypſi more, relinquere, qui tamẽ pro Orientalibus & precioſis vendantur.

Ad ſententiæ noſtræ confirmationem faciũt, quæ Monardis *d* habet, inquientis, tam multos adulterinos aduehi, vt ex centum vix denos legitimos inuenias, quemadmodum ipſimet Indici ſcriptores fatentur iſtic multos adulterinos conflari. Nam Ioſephus Acoſta *e* ſcribit, Indos vbi lapidis huius vſum commendatum cognouere, ſtatim arte multos confeciſſe, & pro veris falſos ad alias regiones tranſmiſiſſe: Guidonem à Vazare ciuem Hiſpalenſem, qui totũ nouum orbem

orbem perlustrarat, præsertimque Chinę regionem, affirmasse, retulit Monardis, & ex eo Syluaticus, Indiæ populos falsos lapides Bezaar componere solitos fuisse. Cuius rei etiam Christophorus Acosta *f*, vt infrà ostendemus, nos admonet.

His addit Syluaticus *g*, quis est, qui Italicorũ ingeniorum summam acutiem, & excellẽtiam cognoscat; quid item, quantumq́; auri sacra fames, mortalia pectora cogat, sciat; qui simul etiam non credat, & in Italicis regionibus adulteria hæc eadem frequentissimè committi, horumq́; lapidum numerum insignem astutè satis confici? Persuadere hoc potest facilimè quemque, lapidum huiusmodi quãtitas in Italia propemodùm infinita, vnà cum vili eorundem pretio: hæc ille.

Quæ sanè haud dubiè, Herculem Saxoniã *h*, Patauinæ scholæ professorem, mouere, vt huic lapidi parum tribueret: dum admonitionis causa, inquit: lapidi Bezoartico, siuè Bezoar, siuè illum intelligamus, quem in ventribus animaliũ inuentum tantopere celebrant, siue cerui lacrymam, parum confido: magnatibusque ac principibus consulo, ne in eo tanti coemendo sint vsque adeò faciles. Nam talis est impostorum versutia, vt arte fabrefactum lapidem, nullius frugi, viginti, quadraginta, aliquando pluribus coronatis, venundare soleant. Ego certè, addit, non absque causa hunc parui pendo, qui toto eo tempore, quo Venetiis medicinam feci, ipso fre-

quentiſsimè vſus, & eo quidem optimo credito, vtpote huic vel alteri Senatori Veneto, à maximis Principibus dono dato, aut religioſis Frãciſcanis habito, quem ex Indiis orientalibus delatum, aſſerebant ſe manibus propriis ex animalis ventre extraxiſſe: nullum tamen inueni fructum, neque ſudorem inſpexi illum ſalutarem ab his tantopere decantatum, ſed lethalem tantum ac diaphoreticum: quam ob cauſam præſenti tempore, illius vſum prorſus intermiſi, & cæteris prætermittendum ſuadeo: hæc ille. Fatear ſanè oportet, me hactenus ſæpè vſum hoc lapide, ſed nihil laude dignum præſtitiſſe, ſed pleroſque ex eius vſu attonitos redditos animaduerti.

Quare cum Franciſco Valleſio *i*, Regis Hiſpaniæ Medico cubiculario dicimus, vereri ne omnes ſint falſi (licet ſecus Solinandro *k* videatur; qui Bezoaris lapidis probatiſsimi nobis ſemper copiam eſſe, aſſerit) inprimis cùm etiam nunc apud Germanos, horum lapidum, præſertim occidentalium copia reperiatur. Nam vnde quæſo earum tanta copia nobis ſuppetit? cũ Indici ſcriptores atteſtentur, potiſsimum Garzias, tanto in precio apud Indos haberi, vt neceſſum ſit omnes ad Regem eius regionis, in qua generantur, perferri, ita vt non ſine difficultate inde haberi poſſunt. Imò teſtantur Indos magnates eos ſibi reſeruare, & aliis magnatibus pro ſplendido munere dono mittere. Adde inſuper, quòd in vnius ſolius animalis ventre

ventre (in Oriente dico) duo, tres, vel etiam quatuor tantùm lapides reperiantur: licet Petrus de Osma in Peru, nouem ab vno animali se extraxisse ad Monardem scribat: nec semper, eodem referẽte, in dictis animalibus reperiuntur: quare eorum copia esse non potest. Cùm enim morbus quidam sit lapis, in animalis cuiusque ventre, aut alia parte genitus, siue potiùs quidpiam à morbosa causa genitum, omnia & singula illa animalia, in eundem affectum perpetuò incidere, auctore Syluatico, dici non potest. Quòd verò lapis hic à morbo dependeat, Christophori Acostæ *l* testimonio comprobari potest, dum asserit, animalia illa, ob lapidem insigniorem, ventri ipsorum inclusum, mori, & mortua à venatoribus reperiri, & ex mortuis lapides extrahi. Idem testatur, venatores, dum ea insequuntur, ex lento & pigro incessu, cognoscere, quænam lapidem maiorem habeant, quod sanè argumentum, non omnia prædicta animalia, perpetuò lapidem in ventre habere.

Accedit, quòd ea animalia à venatoribus maxima cum difficultate capiantur, Monarde his verbis attestante: Indiani hæc venantur, interficiunt armis, laqueis & per insidias: adeò enim ferocia sunt, vt aliquando venatores interimãt; agilia enim sunt & saltu veloci. Hinc verisimile nobis fit, hosce lapides adeò numerosos esse nõ posse. Rectè ergo Gallus *m*, inquiens, bene animaduertant ii qui se Medicos esse profitentur, praximq́; exercent, ne à fucatis lapidibus deci-

piantur:

piantur: vidi enim quandoq; talem mixturam adeò cautè concinnatam, vt ab optimo & genuino vix distingueretur, quemadmodum duo fuerunt quos Vespasianus Gonzaga, dux Sablonetæ ab aula Cæsaris detulerat, à qua quidem mixtura quamplurimi ignari Medici fortasse decepti fuissent, nisi rectè omnia perpendissent, forte etiam magnanimus hic Princeps deceptus fuisset, nisi periculum de illa mixtura diligentissimè fieri curasset: quare ipsi errorem manifestè ostendit, vt qui me prius in genuino dignoscendo exercueram, in quamplurimis maioribus quos nactus eram, à Lusitanis etiam edoctus, præsertim ab eximio Artium & Medicinę Doctore Damiano Dias in Pisano Gymnasio Practicam profitenti, dum me febre maligna & pestilenti grauissimè laborãtem, & ab omnibus iam deploratam, vnico illo præsidio, ingenti omnium admiratione, me à faucibus oræ anno 1587. eripuit, reipsaque & ipsum Bezaar & eius virtutem omnibus notis & numeris ex ipso cognoui. Quare scitu planè necessarium, quomodo lapides hi adulterentur; dein, quæ lapidis veri notæ sint, quibus've signis à falsis distingui possint.

a cap. 386. *b* de peste. *c* de gemmis. *d* lib. simp. ex India Occid. cap. 34. *e* lib. 4. hist. natur. cap. 42. *f* de medic. ex India Orientali cap. 21. *g* de lap. bezaar. *h* lib. de plica cap. 59. qui lib. de febrib. pestifer. cap. 37. hæc habet: Si lapis reperiatur probus, etiam mihi probatur. *i* lib. 4 meth. med. cap. 2. *k* lib. 2. consil. 60. *l* cap. 21. *m* de feb. pest. tr. 1. cap 29.

QVO-

QVOMODO ADVLTErentur.

CAPVT XXX.

QVòd falſi conficiantur non ſolùm ab Indis, verùm etiam à Iudæis, certum eſt: ſed quomodo, quáve ratione, & cuius rei admixtione, non ita conſtat. Indos etenim inueniri, qui ex maſſa quadam adulterinos conficiant, Monardes *a* refert: aſſerens, illos tamen legitimi binas notas, laminas ſcilicet & puluerem imitari non poſſe. Et Fragoſus *b*, idem de Indis refert: paleam tamen vel puluerem, qui intus contineatur, exprimere non poſſe, ex quo adulterium agnoſcatur. Sunt qui ex lapidum fragmentis & pice artificiosè iunctis, veris ſimiles confici, & pro veris vendi ſcribant.

Quare modum, quo adulterati conficiantur, Chriſtophorus Acoſta *c* plenius expreſsit: vtpote ex creta, cineribus teſtarum oſtrearum, ſanguine ſicco & lapidibus Bezahar minoribus ſubtiliter contuſis, & cum aliquo liquore ſibi incognito, ſimul diligenter incorporatis, ita vt naturales & veros æmulentur: & quia maiores minoribus, veluti maioris efficaciæ præferantur, idcircò eius magnitudinis efformare, ex qua plus vtilitatis ſperare, dolumque melius tegere poſsint. Idem *d* alibi aſſerit, ita artificiosè confici, vt etiam exercitatiſsimi, lamina externa inſpecta decipiantur, & niſi frangantur, à vero & naturali diſtingui non poſsint, & tales

ex Or-

ex Ormuz, Malabar & colonia Cochin dicta, vbi Regia est, deferri. Quare Clusio ad Garziam, & ex eo Fragoso, auctoribus, Vlyssibonæ mercatores licet magni æstiment, ea tamen conditione vendere nolunt, vt emptor periculum faciat, an legitimus sit. Imò consueuere isti nebulones Cinabarim *e*, Antimonium, Argentum viuum, ignis artificio variè compingere, conglutinare, tingere, & exsiccare, vt verum Bezoar æmuletur. Quis quæso lapides ex creta, calce, ostrearum testis, & sicco sanguine confectos (vt ex Acosta meminimus) taceo ex Cinabari, Antimonio, Argento viuo & similibus confectos, nocentissimos & lethales esse non dixerit?

Sic & Hyrusz, cuius sæpius meminimus, ipsi Hüeblino, Medico eximio retulit, dum in India viueret, in superiore Cochin fuisse diuitem Iudæum, Moysem Villelam nomine, qui ex paruis lapidibus Bezoardicis, magnos duarum & plurium vnciarum pondere conficiebat, & magno pretio vendebat: paruos in puluerem comminutos, peculiari quadam aqua glutinosa, pro ea quà volebat magnitudine compingebat. Sed tales ab iis, qui nouerant, & probarant, emptos non fuisse: nec ipsum potuisse ex Iudæo, licet singularis eius amicus foret, conficiendi modum intelligere.

a lib. de lapid. bezaar. *b* de aromat. tract. 1. cap. 10. *c* lib. simpl. Indiæ Oriental. cap. 21. *d* eodem lib. cap. 66. de Manna. *e* Ryff. pharmac. restaur.

QVI-

QVIBVS NOTIS, SIVE SIGNIS LEGITIMOS COgnoſcere, auctores doceant.

CAPVT XXXI.

CVm ergò conſtet lapides hos adulterari, omnino neceſſarium eſt legitimi notas cognitas habere, quas tamen non ita tuto proponi poſſe, Saxonia *a* aſſerit: imò ferè impoſsibile eſſe Syluaticus cenſet, quia talis tantaq; ſit impiorum hominum auaritia & aſtutia, quorum ingenia auri deſiderium tantopere acuat, vt lapidis iſtius omnes conditiones naturales, tam externas quàm internas, perbelle adeò imitentur, vt ferè diſcerni non poſsint. Nihilominus tamen conuenit, Medicos hac in re diligentes eſſe, cùm ſæpiſsimè iſtorum lapidum adulteratorum vſus nocentiſsimus eſſe poſsit: præterquam enim, quòd ea facultate careant, cuius potiſsimum ob cauſam vſurpantur, Alexipharmaca nimirum: verũ etiam propterea, quòd in iis conficiendis, ea, quæ maximè nocere poſſunt, aſſumuntur. Attamen cùm varii modi, adulterinos à legitimis dignoſcendi, inuenti ſint, notas omnes, quas apud auctores reperimus, ordine referemus: at quantum ad rei veritatem inueniendam valeát, & quantum iis fidei ſit tribuendum, omni diligẽtia perpendendum erit.

Deſu-

Desumuntur autem notæ à diuersis: à forma: à laminis: ab interiore cauitate: à pondere: à commistione cum calce, vel etiam tinctura: ab euanescentia in auram carbonibus si iniiciatur: à flatu, friabilitate, liquatione & dissolutione in aqua: ab infectione dentium, & à collisione ad dentes: à probatione cum acu facta: à lapidis fragmentis: à magnitudine: à vomitu: & denique ab experientia, periculo videlicet in bestiis facto.

A' forma: ex sola forma veros à falsis discerni posse censuit Baccius *b*: eos enim qui formam renum, aut oui columbini æmulentur, exterius læuigati, & expoliti sint, falsos esse.

A' laminis seu corticibus: cùm omnes, modò veri sint, corticibus *c* multis sibi inuicē incumbentibus ceparum instar constent: quamuis alii *d* aliis pluribus, aut paucioribus tunicis præditi sint: sic etiam alius *e* alio durior, compactior, vel laxior sit. Attamen Monardes *f* notas duas ponens, legitimū dicit, si læuibus & quasi expolitis laminis constet, & si exteriore sublata, ea quæ subest, multò splendidior conspiciatur. Hinc *g* glabrum leuem splendore coruscantem commendat *h*.

Refert Syluaticus, Paulum Cigalinum, qui multos lapides Bezaar diligentissimè obseruarat, maximam fidem tribuisse, si tunicæ omnes siuè laminæ, haud minùs interiores, quàm exteriores, vbi pollice tenuissimum quēdam pulverem deterserimus, leuissimæ omnes, tersissimæ *i* ac

mæ *i* ac ſplendentes ſeſe offerant: quas verò impoſtor confecit aſtutè, præter exteriorem reliquas eſſe aſperas, & ſplendore deſtitutas, quod læui tunicæ arte alia adnecti non poſsit.

Iam verò quatuor hîc opiniones inuenio: aliis laminam exteriorẽ ſplendentem: aliis hanc rudem: aliis ſecundam ſplendentem: aliis interiorem laminam rudem requirentes.

Verùm artificio ſplendentes reddi, Hueblin refert: naturales enim rudes eſſe & inæquales, quales ſunt illi, qui ex veſica humana eximuntur, Baccius auctor eſt *k*. Idemque addit, artificium ex politura cognoſci, falſos enim læuigatos & expolitos exterius eſſe.

Lacunæ, legitimus, læuis, ſplendens, ſquamoſus, ex plurimis ſquamis, quarum tamẽ prima minùs læuis aut ſplendens & friabilis: & Iordano, bonitatis argumentum, ſi ſuccedens pellicula, vel lamina ſuperiore ſplendidior ſit: & *l* Paræo, ſi laminæ, quæ primam ſequuntur, clariores & ſplendidiores appareant.

Contrà Saxonia *m* refert Luſitanos ſcriptores aſſerere: ſi cortex interior ſit rudis, probi argumentum eſſe: ſi verò ſit politus, ſicut exterior, ſophiſtici argumentum eſſe. At Boëtio *mm* cõſtat ex tunicis ſiue cruſtulis politis interdum & ſplendentibus, ſemper magis iis quæ ſubeũt: nonnunquam aliquantulum ſcabris, extima præſertim parte & reliquas complectente, vt in veſicæ & renum calculis videre licet.

Lubet & adponere ea, quæ Hueblinus ex

quodã Hyrusz nomine de falsis cognouit: Falsi corticibus destituuntur (cùm impossibile sit cortices arte conficere) cauitatem in centro habent, in qua lapillus aut fructus alicuius granũ, cum puluere continentur: eiusmodi plures se vidisse asserit, cùm Indiani tales certis compositionibus conficere soleant, emptoribus non concedentes, vt periculum faciant corticésne habeant, aut veri sint. Subiungit, Indianum quendam Ethnicum Goa in ædes suas detulisse lapidem Bezaar trium vnciarum, Andrea Marco primario mercatore præsente, quē cùm dictus Marcus falsum agnouisset, eum mallei ictu in frusta comminuisse, Ethnicum verò aufugisse: hæc ille. Sed quod Baccius scripsit, has laminas si frangantur, aureos fulgores, siue aureas scintillas emittere: id præterquam quod à nullo ex scriptoribus, qui eas regiones perlustrarunt, animaduersum est: à nemine etiam aliorum, id obseruatum fuisse legimus.

Ab interiore cauitate, quam alii veris, alii falsis tribuunt. Communis sententia est, legitimos & minime adulteratos, in meditullio concauos esse, vt notat Monardis *n*, nullum cor *o*, aut matricem habere: vt aquilinus *p*, quem aëtitem dicunt: & hanc secundam facit & primariam notam, Monardes *q*, si interius concavus & puluere eiusdem *r* cum lapide substantię, plenus sit: quem puluerem *ſ* ab interiore lamina recessisse volunt, & iisdem *q* viribus præditum: quare maximè *r* commendatur, atq; ipsi etiam lapidi

lapidi præfertur: quo puluere falsi, Fragoso etiã teste, carent.

Alii paleam in concauitate repertam, pro signo probi habent, vt Fragosus: etenim circa paleam tenuissimam, quæ inueniatur, si lapis conteratur, concrescere, Garzias *t* tradit: vel circa festucam laminatim, vt Paræus. Sic Acosta, in meditullio semper aliquid reperitur, siue paruum *u* cinereum granulum, aut herbam siccam conglobatam, aut paleam tenuem: & Richardus, plerunque dum frangitur, cauitas in medio apparet, in qua vt plurimum festuca paleæ reperitur. Sunt qui paleam in falsis reperiri velint & qui falsis cauitatem tribuant, vt paulo ante ex Hüeblino monuimus: contra Cæsalpino, adulterati, si frangantur, in meditullio nec cauitatem, neque paleam, sed aliquid aliud, habent. Hinc Saxonia *x*, addunt probum cognosci, si lapis frangatur, si in meditullio puluis reperiatur: si verò granum, festuca reperiatur, sophisticum. Ego, addit, inueni aliquando, quos existimaui omnium præstantissimos, & tamen in meditullio folia exsiccata reperiebantur: quare mihi persuasi, hoc signum non concludere: ratio, quia congeritur in ventre animalium post alimentum assumptum: assumunt autem varia alimenta. Itaque fieri potest, vt huiusmodi materia in ventriculo concrescat, circa folium, ergo non concludit argumentum: hæc Saxonia.

Quare Monardes *y* asserit, se vidisse confringi quendam, ad obseruandum an legitimus es-

ſet, & laminis conſtaret, ſed in centro granum, aut ſemẽ quoddam repertum, ſuper quod Indus impoſtor lapidem formarat. Sanè & ego duos vidi, in quorum altero phaſeolus exiguus repertus, in altero nucleus Myrobalani Indi forma, vtroque tamen lapide, magno cum ſucceſſu ſe vſos teſtabantur. Sic Ioſephus Acoſta in Occidentali nucleos Pini Caſtellani, vt infrà capite, de lapidis Occidentalis generatione plenius monebimus, obſeruauit.

Sanè diuerſa hæc, quæ de re huiuſmodi hunc in modum affirmata audiuimus, contraria inter ſe non eſſe, & omni ex parte poſsibilia, Syluatici eſt opinio. Nam cum primum dicti animalis calor internus in lapidis materiam agere incipit, ſi is intenſus fuerit, & materia non multa, hæc maximè exſiccatur. Addita deinde ad lapidis auctionem alia materiæ portione, hæc quoque ab eodem calore aduritur & exſiccatur: óbque propinquitatem prior iam valdè exiccata, magis adhuc exiccatur, & in puluerem tandẽ, vt reducatur neceſſe eſt: cauitas propterea formata remanet. Sed ſi craſsioris illius herbæ partis quidpiã, quod durius ſit, in prima elaborata materia eſſe contingat, illa ob craſsitiem multam, in lapidem & puluerem verti non poteſt: cui cùm ſtatim alia tunica addatur, & huic alia conſequenter, caloris actione ad vltimam internam partem amplius non perueniente, illa herbæ portio, eo in loco conſeruatur. Quod idem ſi palea aliqua, acus, ferrum, pineus, aut tale aliud quid-

quidpiam ab animali manducatum fuerit, eo tempore, quo lapis sui ortus initium suscepturus est, facillimè eueniet. Confirmatur hoc exemplo lapidum, qui in hominibus concrescunt, in quorum medio interdum acus, festuca parua, aut quid simile reperitur. Syluaticus, acum semel obseruauit: semel etiam cordæ fidicinæ portiunculam in vesicam, per penem, in quem imprudenter immissa fuerat, irrepsam. Hoc in eo lapide, qui in animalis ventriculo concrescit, euenire facilè concedes, cùm in hoc alimenta quoque crassiora, moram longiorem trahant: & quod animal ex ruminantium genere est. Quod verò Garzias dixit, tenuem paleam semper in lapidis Bezaar meditullio reperiri: id, vt aliqui censent, absolutè non enunciauit: sed de his tantum quos in Persicis animalibus genitos, obseruauit.

A` pondere: si pondus illi leue sit, perfectioni attribui, tradit Richardus *aa*: contra verò Linscottus *bb*, quo maior & grauior, eò nobilior, carior, & efficacior, eiusdem cum aliis lapidibus duritiei, minus tamen ponderosus.

A` commistione cum calce & tinctura, & euanescentia in auram, si carbonibus iniiciatur, Lapidem, vt refert Christoph. Acosta *cc*, lingua humectatum, vel calci, vel muro parum affricant: vel calcis puluerisatæ parùm volæ manus indunt, & lapidem nonnihil affricant: quod si probus sit, calcem colore viridi eleganti subitò inficit: si verò adulterinus, calcem tali colore non

tingit, & si inficiat, obscurus magis est. Addamus & hæc ex Carolo Gallo *dd*: vnum (scribit) notatu dignum mihi monstrauit in hoc tam insigni lapide famigeratus ille Doctor Lusitanus, Damianus Dias professor Pisanus, quod & ipse à mercatoribus deprehendit, qui ex Indis illum deferunt, id autem est quod ipsi calce lota & extensa in syluestri manus parte mox exsiccata ducant lineam huiusmodi lapide super hac parte, & vbi colorem cæruleum linea illa proferat, certum & indubitatum indicium optimi & genuini Bezahar mercatores Lusitani hoc esse attestantur. Vel vt Boëtius: si calce viua aqua admista vngatur lapis, ac illa paulo post flauescat, legitimum lapidem multi iudicāt: alii chartam creta fricāt, deinde supra cretam lapidē fricant, si fricationis linea viridis appareat, legitimū lapidem arbitrantur. Sic Rauwolffius *ee*, inter cętera veri lapidis signa, certissimum hoc ex mercatore didicit: si portio calcis viuę, & huius lapidis puluis, aqua addita ad pultis formā, diligēter misceantur, & exsiccari sinantur: postmodum in puluerem redacta, si flauescat, ex Persia allatus & legitimus censetur: si verò albus, pro falso habetur. At à Castro *ff* aliam notam addit: si lapidis puluerem cum calce & aqua misceas, colorem ex pallido virentem referet, & si carbonibus accensis iniiciatur, in auram penitus euanescere asserit. Sunt qui calcem, in vola manus, cum aqua dissoluant, dein lapidem affricant, quòd si colore subcroceo eandem tingat, verum

verum probumque aſtruunt. Paulò aliter Lonicerus, qui pro tertia nota hanc poſuit: ſi lapis hic ſputo, aut aqua ſoluatur, & per pannum lineum album coletur, hicque colore tingatur, tunc bonus ac verus erit. At contraria eſt Baccii *gg* opinio, qui ſcribit, quando lapis hic cum ſaliua hominis manus palmæ affricatur, ſi ibi tincturam, vel maculam quandam relinquat, falſi notam, à vero enim Bezoare minimè fieri: & Ryffii reform: dolus cognoſcetur, ſi parum humectentur & manui affricentur, tunc colorant.

A' flatu: Mauritani, ſcribit Garzias *hh*, lapidem manibus comprimunt: deinde ſpiritu inflant: quòd ſi aër permeet, adulterini indicium eſſe volunt. Paulò plenius Chriſtoph. Acoſta: ſi pugno firmiter includatur, ita vt ſpiritus inflatus alibi quàm per ipſum permeare nequeat, probi ſignum: quòd ſi falſus ſit, ab vna parte fractus, & ſpiritu inflato, hic per aliam partẽ trãſit. Et Paręus, alteram notam probi tradit, quod digitis cõpreſſus, flatu oris, bubalini corii inſtar, infletur: nam ſi flatus perrumpit, nec in eius denſitate perſiſtit, pro adulterino habetur, cuiuſmodi multi ad nos importantur.

A' friabilitate, liquatione, & diſſolutione in aqua: Etenim bonum comminutum ſcintillare, alabaſtri modò facilè abradi & limari poſſe, & ore detentum in liquorem abire, aſſerit Iordanus *ii*. Verùm ſquamam primam friabilem, dicit Lacuna: Richardus verò ſcribit, licet extrin-

ſecus denſior ac ſolidior videatur, vbi rumpitur, fragilem tamen ac poroſum apparere, ſine aliqua arenoſitate, & ſi inter dentes ponatur, diſſolui, ac ſi panis cruſtula eſſet. Sic alii *kk* eum laudant, qui diutius in aqua maceratus liqueſcat. Boëtius *ll* etenim hæc habet: leuis eſt hic lapis & blandus, vt alabaſtri modo abradi poſſit, & in aqua hærens, aut etiam ad linguam facilè liqueſcat. Contrà Hûeblinus, qui tres præcipuos & certiſsimos probandi modos recenſet, primum tradit eum, ſi aquæ bullienti iniiciatur, vero lapidi nihil obeſſe, ad adulterinum molleſcere & diffluere.

Ab infectione dentium: Cæſalpinus *mm* aſſerit, experientia compertum, ſi lapis verus ſit, & ſyncerus, dentes eorũ nigreſcere, qui hauſerint, ideo cauere, cùm deuorant, ne medicamentum dentes attingat, cochleari inter fauces demiſſo: & hoc ſignum eſſe, vim aliquã deleteriam continere, vt ſoleant alexipharmaca.

A`collisione ad dentes: Hûeblinus, pro tertio probandi modo tradit, ex relatione mercatoris Hyruſz nomine. qui in India aliquando vixit, & plures lapides Bezoar coemit, hac potiſsimum probatione vſum: lapidem dentibus anterioribus alliſiſſe, quod ſi ſonum clarum parui ſilicis inſtar ederet, pro genuino habuit: falſi ſiquidẽ, ſonum obtuſum inſtar rei putris, & mollis exhibebant. At Chriſtophorus Acoſta *nn* eos, qui concuſsi, reſonent, falſos aſſerit, quod in nigris obſeruetur.

Ab acu: iubet enim Hüeblinus acum ſumere, ad candelam accenſam candentem reddere, & lapidi infigere, quòd ſi ſubeât, aut lapis à calore mutetur, bullæ've excitentur, falſificati ſignum eſſe; & Cæſalpinus *oo* adulterinos deprehendi inquiunt, ſi ferro candente perforentur, calefacti molleſiant: ſynceris hoc nequaquam contingere. At Syluaticus refert, fuiſſe qui exiſtimauerint cognoſci adulterium, acu candente in lapidem immiſſo, ſi malè oluerit: eſt enim, addit, ſignum partem materiæ admixtam vri, ac fuligines tetrum odorem ſpirantes emittere: quod non contingit in germano & vero lapide.

A' lapidis fragmentis: ſi lapidis confracti fruſtula ſiue fragmenta admodum dura ſint, & terræ coctæ, aut gypſi more relinquantur, adulteratos eſſe, Baccius ſtatuit, & maximã adulterii certitudinem, cum eodem, Syluaticus concedit.

A' Magnitudine: Ioſephus Acoſta *pp* ſcripſit, aliquos Indiæ incolas voluiſſe, lapidis magnitudinem inſignem quæ communem eius magnitudinem nimis excedat, adulterium indicare: & ipſe Syluaticus *qq* huius lapidis excedentem quandam magnitudinem, maius teſtimonium impoſturæ ſemper exiſtimauit.

A' vomitu: Grani vnius vel duorum pondere exhibitus, venenum euomi facit, quo experimento probatur, Cardanus *rr*.

A' periculo facto in beſtiis, & quidem dupliciter, vel veneno ipſis ſolum exhibito, vel prius foris applicato, & poſtmodum lapide hoc dato,

Quoniam Seplasiarii *ss*, falsa & ficta pro veris sæpe obtruserunt, non aliter vænit, quàm periculo bestiarum nece facta: duobus enim catulis aut felibus toxicum deleterium, aut venenum omnium deterrimum detur: deinde alteri ex catulis, tantulum pulueris eius lapilli ingeritur: ita fit, vt si alter ex catulis, cui antidotum nullum datum sit, moriatur, alter incolumis euaserit, lapidis integritas indicetur. Et Lonicerus *tt* pro secundo experiundi modo, scribit, alicui bestiæ, vt gallo, columbæ, anseri, aut homini exhibendum venenum: deinde huius lapidis puluerisati, & in aqua conuenienti dissoluti, propinandum.

At Clusius *uu*, sic expressit: optimum solebant experimento deprehendere, quod hoc modo fiebat: filum toxico illinebant, (herbam balesteram vocari asserunt Vlmus, Clusius & Fragosus, & succum esse radicum hellebori albi Cæsalpinus loco cit. scribit) dein per canis, aut alterius animalis pedem, aut aliam partem, filum traiiciebant, filo in vulnere relicto. Canis ilicò ea symptomata habere incipit, quę eos, qui toxicum biberunt, comitari solent: cùm verò symptomata grauiora vrgent, & canis concidens desperatus videtur, tum puluerem ab hoc lapide abrasum, & aqua dilutum (grana aliquot cum aqua buglossæ, Vlmo) in os iniiciunt: nam si legitimus est, auxilium ex eo remedio animal sentit: sin minùs, adulterinus censetur.

Sed hodie mercatores *xx* examen id recusant,

ſant,quaſi promiſsis reſpondeat.Hæ notæ ſunt, quas apud auctores reperi.

Lubet & Boëtii *yy* ſententiam adponere: Eligendi ſunt (inquit) qui ex capriceruis paſcua in montanis habentibus extracti ſunt. Nam qui ab iis, qui in planis locis degunt,eximuntur,viribus prorſus carēt, quòd herbis ſalutiferis non paſcantur, vt illi qui victum in montanis quæritant, & aromaticarum herbarum copia ſaturantur. Proinde Malacenſes vilipenduntur,Capriceruos enim in paſcuis ad lanienam alunt. Perſici verò in pretio ſunt, quòd in montanis degant. Præter hæc,lapidis ſubſtantia,color & forma diligenter examinanda eſt; nam ii laudantur maximè, qui è nigro ſeu rauo colore virides videntur,& quorum puluis ſubuiridis eſt. Deinde, qui ablata cruſta ſuperiore, inferiorem ſplendentem habent, ac in meditullio concaui ſunt ,aut arenam lapidi ſubſtantia ſimilem, ſed ad venena efficaciorem continent, quique præterea ad linguam aut in aqua liqueſcunt,nihilq; arenoſum habent. Qui has notas habent,ſinceri,& Orientales iudicantur.Nullum tamen certius probitatis indicium, quàm ſi venenum homini, aut cani detur, & oblato puluere euadat. Quis enim montanum à paluſtri, aut adulterinum à legitimo (quem Indi imitari poſſe exactè dicuntur) diſtinguere melius quàm effectu, qui à tota lapidis eſſentia manat, poteſt?

a de febrib.peſtif.cap.37. *b* de gemmis, eleganter formati ſunt, Ryff.reform. Syluaticus. *c* Hüeblin. Boëtius. *d* Sal-

d Salmuth.in Pancirol. *e* Ryff.reform. *f* lib.proprio, & ex eo VVittichius. *g* Gabelchofer in Baccium: leuem splendentem. *h* absque sapore, Heurnius de peste: ex eo à Bra *i* Crustarum splendor non ab omnibus pro indubitato legitimi lapidis signo habetur, Boëtius lib. 2. de gem.cap.194. k de gẽmis: Ryff. reform.& Syluat. *l* de peste tr. 3.cap.9. Gabelhof.& Ryff.reform. *m* de febrib.pestif.cap.37. *mm* lib.2.de lapid.cap 191. *n* lib.prop. & ex eo Clusius in Garziam: VVittichius: Syluaticus. *o* Salmuth in Pancirollum ex Monardi citat. *p* Iordanus de peste tract. 3.cap.9. & Gabelchofer. *q* Paræus & Fragosus. *r* ex Monardi Salmuth: eiusdem substantiæ, pollentium tamen virium, Iordanus de peste & Gabelchofer. *ſ* Ryff reform. *t* Sarracenus, Linscottus, Arthus. *u* bonus parte caua nucleum non habet, Paræus. *x* de febribus pest f. cap. 37. *y* lib. proprio, & ex eo VVittichius. *z* Semen aut granum in meditullio, supra quod Indi lapidem formant, adulterium arguit, Boëtius lib.2.de lapid. cap.194. *aa* in epist ad Episcopum Strigoniens. bonus leuis est, Paræus, Heurnius, à Bra, Gabelhofer, à Castro. *bb* hist. Ind. & Arthus. *cc* Syluaticus p.100. ex Acosta. *dd* lib.de pest.tr.1.cap.29 *ee* sui Itiner. part. 1. capit. 8. *ff* parte 2 lib.2 cap.5. de mulier. morb. *gg* ex quo Syluaticus. *hh* idem VVittichius, addens tales ex Persia non esse: Syluaticus ex Garzia: Boëtius, Indos sic probare scribit lib.2.de lapid. cap.194. *ii* Iordanus de peste, tract.3. cap.9.& Gabelchofer. Paræus: Lonicerus: facile frangitur, Cardan.17.var.rer.97. kk Paræus, VVittichius, Gabelchofer. *ll* lib. 2. de lapid. cap. 191. *mm* 2 metall 46. *nn* cap.21. *oo* 2.metal.46. *pp* lib.4 hist.Indiæ cap.41. *qq* lib.de bezaar. *rr* lib.17.de variet.rer.cap 97. *ſſ* Bodinus theat. lib.2. *tt* in herbar. German. *uu* notis in Garziam & Vlmus de occultis in re medica proprietatibus lib.4. cap.5. idem Fragosus, Cæsalp.de metallic. lib.2. capit.46. Ryff. in reformat.pharmac. Syluaticus ex Clusio. *xx* Cæsalp.de metall. & Vittichius.
yy lib.2.de lapidib.cap.191.

QVID PROPOSITIS SIGNIS TRIBVENDVM SIT, Syluatici opinio, & quibus signis in vero dignoscendo Medicus vti debeat.

CAPVT XXXII.

ENarratis notis, quibus creduntur legitimi lapides ab adulterinis & factitiis distingui posse: nunc placet Io. Baptistæ Syluatici Medici Mediolanensis præstantissimi, de iis iudicium subiicere. Laudanda sanè tot prudentissimorum scriptorum est diligentia, hæc omnia in hominum vtilitatem, cùm inuenerint & docuerint. Vereor tamen vel maximè, ne frustra hæc omnia contra impiorum hominum astutias fuerint iniecta tela, timeo etiam ne horum militum faces, paruipendant omnino scelestorum technæ, suisque in arcibus adhuc perstent fortissimæ: nosque propterea in lapide Bezoar eligendo, longè minus tutò incedere possimus. Rationibus, ni fallor, moueor euidentissimis, cùm videam, seruatis etiam diligentissimè propositis regulis, fallaciæ & imposturarum scopulos minimè posse nos ex toto euitare. Primoque non video, quid hæc prosint documenta ad illud euitandum erratum; quod in ipsius lapidis Bezoar electione, contingere posse facilimè, Serapionem admonuisse, diximus: lapides scilicet multos esse similes lapidi Be-

Bezaar ſua natura, qui non habent proprietatem ſuam, nec approximant ei, in aliquibus operationibus, quod eſt in cauſa, quòd multi errent.

Formam hanc, vel illam, adulterii argumentum eſſe certum, verum non eſt: quando forma quælibet etiam elegantiſsima, in naturalibus iſtis lapidibus contingere poſsit. Eſt quidem ſine dubitatione verum, perfectas pulcherrimáſque illas formas, ouum, lentem, oliuam, nucem iuglandem, aut tale quid aliud referentem, rariſsimè his lapidibus introduci: poſſe tamen contingere, experientia oſtendit.

Laminæ ſplendentes.) Quod Cluſius adulteratos lapides, laminas ſplendẽtes habere negat: equidem laminas, ſiue tunicas lapidis omnes & ſingulas, ſplendentes, quales in genuinis ſunt, effingi poſſe, difficile quidem, non tamen omnino impoſsibile eſſe nobis videtur. Quo deuenerit hoc tempore artificum induſtria, quàm mirandæ ſint in rebus fingendis aſtutorum hominum inuentiones, neminem ignorare puto. Adulterari gemmarum genus omne eum in modum, vt etiam ab his, qui impoſturas profitentur, difficillimè deprehendantur adulteria, apud ſcriptores gemmarios legimus. Quæcunque etiam de ſplendore, de ſoliditate & æqualitate corticis exterioris, de grauitate & leuitate, de laminarum ordine & identitate, déque lapidis ipſius ſubſtantia, Chriſtophorus Acoſta ſcripſit: & ipſe nihili prorſus facio. Sunt

hæc

hæc ſine dubio omnia & ſingula, genuini lapidis Bezoar, Orientalisque prę ſertim, admodum propria: poſſunt tamen ab ingenioſo impoſtore, arte talia fingi.

Quod adduxit Cigalinus experimentum, tunicarum lapidis tam interiorum, quàm exteriorum, pollice ſic detergendarum, vt puluiſculus abradatur tenuiſsimus, remaneantque nihilominus tunicæ ſplendentes: id & ipſe in his lapidibus, qui tunicis carent, ſed ſolidas habent internas partes omnes, non valere, exiſtimauit. Addo ipſe, verè poſſe etiam arte tales tunicas fingi, quæ etiam ſic abraſæ, ſplendeant nihilominus. Concauas illas laminas, quæ circa meditullium præcipuè ſunt, excipito, in quibus ſplendor & leuitas arte induci poſſe, vix crediderim: ſplendor enim & leuitas non niſi ex ſucco concreto & exſiccato, caloris medio, produci poteſt: quod in partibus illis internis, quibus ſtatim aliæ exiccandæ adiiciuntur, ſeruari poſſe ferè impoſsibile eſt, ſplendorque præcipuè, quare etiam internarum harum partium ſplendor, certius quodammodo ſignum apud nos eſt.

Et quod dixit Baccius, artificium cognoſci per lapidis elegantiam: cùm ſint naturales ruuidi & inæquales, vt qui ab hominis veſica extrahuntur, id ſua eiuſdem aſſertione reprehenditur, & ſine fide eſſe demonſtratur: qui cum aliis ſentiens, Orientales lapides eſſe elegantes, ſolidos & planos dixit: Occidentales è contrà ruuidos & inęquales. Dic tu, impoſtores vtriuſque

que generis lapides arte conficere, & quos voluerint conditiones vnicuique tradere. Nos verò lapides elegãtiſsimos, ſolidos ac fermè ſplendentes ab hominis veſica, cùm fellea, tum vrinaria extractos vidiſſe, bona fide teſtari poſſumus. Proximis annis mulieris Illuſtris cadauer aperiri iuſsimus, in cuius veſica fellea, lapides plus minus quindecim inuenimus, formæ triangularis perfectæ omnes, valde lucidos & planè ſolidos, coloris flaui nigreſcentis, cum maculis nigrioribus hinc inde ſparſis: quos certè artificem ingenioſum ex induſtria tales feciſſe dixiſſes. Rariſsima res hæc eſt, fateor, ſed non impoſsibilis. Quapropter formas huiuſmodi adeò pulchras lapidis Bezaar, impoſturæ ſuſpicionem facere concedimus, non autem certum teſtimonium eſſe.

Cauitas.) Quod Cluſius ſcribit adulteratos lapides, puluerem in meditullio non continere, ſed granulum, aut ſemẽ aliquod, ſupra quod Indi illum confecerunt: id mea opinione certum non eſt ex omni parte ſignum: tale enim quidpiam ſine impoſtura in eis collectum eſſe poſſe, antea oſtendimus.

Commiſtio cum calce.) Quod Chriſtophorus Acoſta addidit, madefactum lapidem, calce, vel alio tentorio affrictum, ſi colore viridi ac florido tinxerit, genuini argumentum eſſe; ſi nullo, vel liuido, falſi: hoc etiam infidam habet certitudinem. Peruani enim viridem non habent colorem, ſed neque etiam omnes Orientales: quare

quare eorum tantum, qui virescunt, fieri hunc in modum poterit exploratio. Quanquã etiam arte confectos, virescentes lapides, frictione media, facilè satis, posse rem frictam tingere, eo persuaderi quisque poterit argumento, quod artificiosi colores facilimè tingant res contactas. Experiatur hoc qui voluerit, remque sic se habere inueniet. Color in rerum substantiam à natura introductus est, eum in modum cum illa mixtus, vt nullo posit auelli ingenio, nullaque vi extirpari, cùm sint res ferè omnes coloratæ, solidæ satis. Ab artificiosis color econtrà facillimè diuellitur, quia mixtio non sit naturalis, in qua ad minimas vsque, Aristotele magistro, vniuntur partes, sed partium potius quædam appositu. Quibus quidem iisdem argumentis & explorationi fides adimitur, quam Baccius fieri docuit, fricto lapide in planta manus cum saliua madefacta.

A flatu.) Modus quo cognosci posit lapis adulteratus, hic propositus fuit; manibus lapidem esse comprimẽdum, deinde spiritu inflandum: nam si aër aliquis permeat, adulterati lapidis indicium esse volũt: sin minus, genuinum illum esse dicendum. Sanè verò experimentum huiusmodi facere, imposibile prorsus fuerit, nisi priùs ab vtraque parte apertus fuerit lapis: eius exterior tunica solida valdè cùm sit, & meatibus huiusmodi per quas aër inflatus permeare posit, omnino carens: quod Garziam, qui primus ingenium hoc in medium attulit,

non animaduertisse, satis miramur. Quin etiam huius obseruationis medio, rei certitudinem aliquam habere nos minimè posse, non vno persuademur arguméto. In iis primum lapidibus, qui sua natura dictis laminis, siue tunicis carét, suntque omni ex parte vnitim & solidè compacti (tales verò aliquos reperiri, nullus scriptorum exterorum negauit) vana est, & ex toto futilis exploratio huiusmodi. In iis deinde, qui distinctas habent tunicas, siue laminulas, res est admodum incerta: quòd posint impostores laminulas illas arte sic effingere, vnamque alteri tali glutinis genere, apponere, quod glutinis crasities, aëri inflato, transitum ex toto impediat. Poterit hoc qui voluerit experiri. Neque item res hæc manifesta adeò est, vt de ipso experimento non dubitemus valdè: vel scilicet inflatum aërem per tunicas transeuntem, non benè percipientes: vel si eum percepimus, quod potiùs per spacium inter manus & lapidem existentem, pertransierit, dubitantes: Arctisimè comprimatur lapis in manu, & tamen tale ex necesitate remanebit vacuum, per quod subtilisimus sua natura inflatus spiritus posit pertransire.

A`dissolutione in aqua.) Inter conditiones veri genuinique lapidis Bezaar, Serapio & Monardes, eam connumerarunt, (quam tamẽ hucusque experti non sumus) quod si in aqua diu detineatur, liquescere & in læuorem abire. Hoc si est, non dubito, quin lapidis veri Bezaar, certum

tum omnino ſit ſignum. Nulli namque alii lapidi quod ſciamus, aut legerimus, id euenit Lemnia terra & Bolo Armena excepta. Quare ſi ex his lapidem aliquem, qui Bezaar ſimilis ſit, contingat: decipiemur quidem hac in exploratione, quia liqueſcet in aqua poſitus: ſed minus malum erit adulterium huiuſmodi, qui ex ea terræ ſpecie ſit confectus lapis, quæ & ipſa febribus aduerſatur malignis, fuitque hunc in vſum à grauiſsimis ſcriptoribus Medicis commendata. Quæque fuerit alia terræ lapidísve ſpecies in conficiendo lapide ſumpta, ea in aqua poſita liquari haud poterit, totaque quia grauis aquæ fundum petet celerrimè. Non tamen abſolutè adeò hoc accipi velim, quin lapidum & terræ cuiuſuis ſpecie dimiſſa, materiâ aliquam in aqua liqueſcentem eligere impoſtores poſſint, & lapides conficere. Animaduertere tamen conuenit, ſine terræ aut lapidum materia aliqua, ſubſtantiam quandam lapidi ſimilem, non ita efformari poſſe, quin citò & facillimè adulterium deprehendatur, vbi diligens adhibeatur animaduerſio.

Ab acu candente lapidi immiſſa.) Qui adulterium hoc manifeſtè cognoſci exiſtimarunt, acu aut ferro aliquo candente in lapidem immiſſo, ſi malus exierit odor, quod non contingit in genuino lapide: ii, id omne & totũ, quod fieri poteſt, mea opinione, nõ animaduerterunt. Sanè verò, malus qui exeat odor, impoſturam ſine dubio detegere non nego: nullus è contrà

odor, aut ſaltem non malus, certitudinem facere non exiſtimo: componi cùm poſsint lapides ex rebus minimè odoratis, ſiue odorem malum nullum emittentibus. Porrò etiam veriſsimum cùm ſit, odore quouis carere genuinos & veros lapides Bezaar: ex neceſsitate fateri conuenit, odorẽ quendam ſuauiſsimũ emittentes lapides artificioſos eſſe & falſos: quod adnotaſſe tanti refert, quanti impoſtores ad fallendos idiotas, & præcipuè delicatiores mulieres, in hoc maximam reponere ſolent induſtriam, eiuſmodique odores ſuauiſsimos magno artificio lapidibus inſerunt, tali ingenio quemque ſine dubio falli poſſe exiſtimantes.

A' lapidis fragmentis.) At maximam adulterii certitudinem eſſe cum Baccio fateri conuenit, ſi lapidis confracti fragmenta, terræ figulinæ, aut gypſo fuerint ſimilia & admodum dura: cùm tales in genuinis lapidibus non poſsint eſſe conditiones. Vereor ipſe tamen, aſtutiſsimos impoſtores, ea, in his lapidibus conficiendis, vti diligentia, vt lapidum ſubſtantiam, naturalibus conditionibus, quam ſimillimã componant, impoſturam omni ingenio abſcondere ſtudentes, conſcii cum ſint & certi, ſecus lapide fracto adulterium detectum iri, ſi diſsimilem à naturali habuerint lapides ſubſtantiam.

A' magnitudine.) Maius ego teſtimonium huius lapidis impoſturæ eſſe ſemper exiſtimaui, excedentem eius quandam magnitudinem. Rariſsima namque res eſt, vt ad talem tantámque

que magnitudinem excreſcat lapis hic. Id tamen in ſenſum accipio, vt extraordinaria admodum ſit magnitudo huiuſmodi: nam ad mali Arancii magnitudinem, aliquem lapidem Bezoar, aliquando perueniſſe docuerunt, vt audiuimus, ſcriptores fide digni: ea etiam adhibita animaduerſione, quod Peruani ſoli hanc magnitudinem ſuſcipere apti ſint: Orientales minimè. Neque enim nos huius magnitudinis Orientalem lapidem Bezaar, circumferri hucuſque vidimus: aut quòd alii obſeruauerint talem, legimus. Cæterum animaduertere conuenit, niſi quidpiam aliud ſuſpicionem magis augeat, aut certius rem determinet, certitudinem in hoc ſigno reponere, periculoſum eſſe: nihil horum in ipſa natura, impoſsibile prorſus cùm ſit.

Ab experimento in cane.) Eaſdem porrò dubitationes & difficultates habet propoſita ſecundo loco Cluſii exploratio. Nam experientiæ nomine indigna eſt talis exploratio, fidémque ideò meretur nullam: cuiuſque ſolius lapidis non omnium ſit experimentum. Adde in bruto non in homine fieri explorationem: multaque cani accidere poſſe, quæ homini non euenient. Adde item genuinum, & verum eſſe poſſe lapidem exploratum, tametſi nullum canis ſenſerit auxilium. Agens enim quoduis etiam naturale, in agendo aliquando deficit, ſuamque propriam non edit operationem: præſertim ſi paſſum in quod agit, nō fuerit rectè diſpoſitum.

Eſſe eapropter poterit, vt canis in quo recitatum ſit experimentum, ad recipiendum à medicamento auxilium, ſit minimè aptum, & quidem non vno nomine tantùm. Nihil denique moror, quin dicam, mirabilem illam aduerſus venena facultatem lapidis Bezaar, ab Arabibus Medicis tantopere exaltatam, minimè hoc æuo fuiſſe obſeruatam: quamuis febrium excellenti putredini, inimicam valdè illam eſſe, cognitum ſit manifeſtè. His igitur febricitantibus vtilis eſſe poterit lapis ille Bezaar, qui oblatũ cani venenum euincere non potuit. Non ideò damnari lapis poterit, & adulterio condemnãdus, quia cani illi auxilio non fuerit: neque etiam econtrà genuinus prædicandus.

Dicat fortaſſe quiſpiam, vnam nobis offerri experientiam, cuius medio verus lapis Bezaar cognoſci poteſt, & non modò ab his, qui ei ſua natura ſimiles ſunt, & ſine virtute; ſed etiam ab omnibus adulteratis diſtingui. Experientiæ quidem ipſius vires, id ſuadere poſſe videntur, cuius vnius auxilio, occultas medicamentorum proprietates percipi & cognoſci videntur. Certi tamen ſumus, experientiam hoc in negotio nihil poſſe, etiãſi traditæ ab antiquioribus Medicis & Philoſophis eius leges omnes ex toto obſeruentur. Medicamenti genus vnum, ſi proponatur per experientiam explorandum, herba puta aliqua, ſemper & vbique erit eadem, à ſeipſa nequaquam diuerſa, longoque propterea tempore in pluribus & diuerſis animantibus in vſum

vſum venire poterit: ſuęque eiuſdem ſpeciei copia nunquam deerit, perfectæque & veræ experientiæ leges omnes explebuntur, ſicque eius facultatis cognitio erit aliquando ex toto confirmata. Eiuſmodi omnia & ſingula nequeunt in lapidis Bezaar exploratione per experientiam obſeruari, propter impoſturas & adulteria non ſemper idem, ſed à ſeipſo ſæpiſsimè diuerſus cùm ſit: eundemque propterea effectum in omnibus ſemper & lõgo tempore minimè producturus: ſuaque quantitate modica, ad explendum experientiæ tempus omne, minimè ſuffecturus. Clarius rem hanc explico. Lapis vnus Bezaar pro hac experientia facienda proponatur, cuiuſuis etiam maioris magnitudinis ille fuerit, ad experientiam perficiendam ſufficere certè haud poterit: eoq; lapide iam ex toto conſumpto, quod pro paucis etiam ſufficiet experimentis, vix inchoatam eſſe dixeris experientiam. Donemus hæc cum vno lapide facta experimenta ex voto ſucceſsiſſe optima: alios ob id oblatos lapides omnes & ſingulos, eiuſdem cum illo bonitatis & præſtãtiæ eſſe, dicere haud poteris. De ſingulo igitur lapide ſumendum erit experimentum, nullique ante fides dabitur aliqua. Quin etiam dum lapidem iſtum hunc in modum explorant Medici, illum, exempli gratia, eis qui peſtilenti febre laborant, offerentes, animaduertant conuenit, ſolóne illo vtantur, vel etiam ſimul aliis medicamẽtis: ſi ſimul cum aliis eo vſi fuerint, non plus lapidi, in putredinis

extinctione, quàm aliis medicamentis tribuere poterunt. Neque ſignum habere poſſunt aliquod, cuius medio, relictis aliis medicamentis ſolum lapidem Bezaar extollant, eique vni victoriæ palmam tribuant. Ego ſanè nullam, quæ id perſuadeat, rationem video, qui ſciam vnam ſolam naturam, vt cenſuit Hippocrates, morborum eſſe medicatricem. Quare & à pueris ipſis auxilia omnia quandoque recuſantibus, & à ruſticis multis eiſdem ex toto carentibus, morbos eiuſmodi grauiſsimos ſæpè ſola Natura depellit. Non licet igitur vnius lapidis Bezaar exploratione rectè ſuccedente, alios omnes & ſingulos, vt bonos, veros & genuinos approbare. Neque econtrà vno inefficaci & falſo deprehenſo, reliqui omnes & ſinguli ſunt, vt tales damnandi. Quapropter lapides Bezaar adulteratos, à veris & genuinis, experientię auxilio dictum in modum, cognoſci & diſtingui haud poſſe, manifeſtè conſtare arbitror. Ad id ideo negotium redire videre eſt, vt omni ingenio cognoſcantur & deprehendantur adulterati. Multis audiuimus propoſitos fuiſſe modos pro hac cognitione: qui quantum ad inueniendam rei veritatem valeant, & quæ fides eis ſit danda, eſt à nobis iam explicatum.

Atque tandem, quoniam in veris dignoſcendis lapidibus Bezaar, & impoſturis circa eos factis deprehendendis, certo caremus ſigno, an ne igitur ex toto damnandi ſunt lapides iſti Bezaar, nullaque illis fides tribuenda? an etiam

ſunt

ſunt ab arte nobiliſsima propterea eliminandi? minimè ſanè. Hæc cognitionis difficultas, Medicos, vt cautè incedant, admonet, & in lapidibus commendandis, ſeſe diligentiores præſtẽt, vndique proſpiciant, nullius quanquam potentis auctoritate moueantur, vtque adulteria & impoſturas detegant, totis viribus ſtudeant, & inuigilent. Quid nos hac in re ſentiamus, in medium proferemus, iudicent alii, qui iudicio valent & doctrina. Quare Medicorum rationalium imitatione, in morbis certo ſigno carentibus dignoſcendis, ad ſignorum, quam vocant, ſyndromen confugiemus, ſignisque multis & minus dubiis in vnum collectis, probabiliorem quandam quæremus cognitionem, poſteaquã ex arte medica certam habere nequimus.

Lapide itaque aliquo Bezaar ad iudicandum nobis oblato, formam eius, colorem, & magnitudinem inprimis conſiderabimus diligenter, nullaque ab his adulterii ſuſpicione nobis oblata, lapidem ipſum per medium frangemus protinus, eiusque intimam cauitatem, quam meditullium vocant, inſpiciemus, quæ ſi nihil, quod adulterium innuat, cõtinuerit, & puluiſculum, aut paleolam, aliorúmve quidpiam eorum, quæ poſsibilia eſſe dicta ſunt, habuerit, genuitatis & bonitatis, ſatis probabile erit argumentum: atque adhuc longè probabilius, ſi tunicas habuerit lapis, ſibi quidem ipſis ſtrictè adhærentes, ſed ad viſum conſpicuè diſtinctas, eiuſdem omnino coloris, ſplendoris, & ſubſtantiæ cum externa:

quæ ſi etiam pollice deterſæ ſplendeant adhuc & ſubtiliſsimum puluerem emittant, ſique fragmenta eius, vbi frangatur lapis, nihil extraneũ habuerint, nullumq; odorem bonum malúmve emiſerint: maiori, dubio procul, commendatione dignus erit lapis. In vniuerſum ſignorum omnium ſyndromes erit colligenda, & ſignum quodque attentius ponderandum, eaque inter ſe comparanda omnia & ſingula, eaque etiam, quæ impoſturam ſignificant: lapisque ille commendandus, quem plura commendauerint ſigna, & probabilia magis, artificioſæ impoſturæ ſuſpicio, aut nihil penitus, aut ſaltem minus damnauerit. Qui ſi etiam in aqua poſitus liquefiet, maioris etiam approbationis voces merebitur. Quapropter ex his manifeſtè conſtare arbitror, quàm facilè & ſæpè ii decipiantur Medici, qui in iſtis commendandis lapidibus, faciles adeò ſunt, ſolaque eorum pulchritudine, aut etiam poſsidentium auctoritate freti, eos in vſum ducunt protinus. Dicent, arbitror, ſe his lapidibus frequentiſsimè vtentes, nocumentum quod fecerint aliquod adhuc non animaduertiſſe. Sed præſidium quod attulerint, idque certè an cognouerint, quæram ipſe. Ex æquo enim & præſidia & nocumenta incerta eſſe, clarum eſt apud me, cùm præſertim alia ſimul in vſum veniant medicamenta. Hactenus Syluaticus.

Vt concludamus, Orientales, Occidentalibus in virtutis excellentia ab omnibus vno ore præferuntur: & Garzias ab horto, & Chriſto-

phorus

phorus Acoſta iis qui in Perſia colliguntur primum locum tribuunt, tanquam iis quibus nulli bonitate comparari poſſunt: & Mauritani adeo dextri ſunt, vt facilè qua in regione nati ſint, diſcernere & diiudicare poſsint. Quod verò Orientales reliquos omnes bonitate excellant, cauſam hanc Baccius affert: eò quòd in fronte aſpectum Solis obtineant, qui rebus maiorem vigorem & virtutem infundit, reſpectu Occidentalium, qui reſolutis per diei calorem partibus ſubtilioribus & alimentalibus, vapores aduſtiores, minusque efficaces accipiunt. Quare addit Gabelchoferus, multa quoque inibi prouenire, quæ in aliis orbis partibus nuſquam comperiantur: cuiuſmodi ſunt, gemmæ, aromata, leones, tygrides, & quæ caloris copiam ampliorem expetunt. Inter Orientales, citrinos aliis Serapio antepoſuit: colorem oliuæ habentes, Ioſephus Acoſta magis laudauit. Sic maioribus, minores (modò & cæteræ notæ correſpondeant) omnium optimi & probatiſsimi, & mediocres à drachma vna ad duas cæteris præferuntur, licet contrarium ſuprà ex Garzia monuerimus. Et vt numero dicam, eos probo, quorum experientia facta eſt in homine, & quidem ſine alterius medicamenti admixtione, vbi veneno exhibito, & puluere oblato, euadit.

DE

DE LAPIDIS HVIVS TEMPERAMENTO.

CAPVT XXXIII.

DE Lapidis huius temperamento, variæ & quidem diuerſæ ſunt auctorum opiniones: aliis, à tota ſubſtantia iuuare: aliis, à proprietate occulta: aliis, temperatum; aliis, frigidum & ſiccum ſtatuentibus: aliis denique, certi nihil de eius temperamento adduci poſſe, cenſentibus, quare ipſos audiamus.

Equidem Arabum ſententia, lapis Bezaar tota ſui ſubſtantia operatur: hinc Serapio *a*, nomen Bezaar cadit ſuper lapidem qui conuenit omnibus venenis calidis & frigidis, cum tota ſui ſubſtantia: & *b* Auicenna, modos quatuor habet, quibus veneni actio impediri poſsit: quorum primus fit per quandam formam ſpecificã, formæ veneni totaliter repugnantem, quod in lapide Bezoar, & Theriaca magna obſeruatur, quare omnia venena tàm calida quàm frigida, ſeu quomodocunque aliter agentia ſua venenoſitate denudare aſſerit. Et Petrus de Abano *c* de lapide agens, eius propriam ac ſpecificam virtutem ad lethale venenum dicit, quæ ſubitò abſq; vllo Medici ingenio à morte liberet. Hinc Fragoſus cẽſuit de lapidis huius temperamento, certi nihil adduci poſſe, cùm non operetur per facultatem manifeſtã, ſed per virtutem ſpecificam: quare à tota ſubſtantia iuuare, etiam

ſudo-

ſudorem copioſum mouendo, aſtruit Amicus *d*.

At Chainus, referēte Manlio ad Cratonem *e*, voluit quidem proprietate occulta valere, ſed & certa proprietate Cor reſpiciente, cùm in cordibus illarum caprarũ reperiatur, ac experientia compertum ſit, quaſdam brutorum partes, ſimilibus hominum partibus, ratione ſimilitudinis conferre. Idem Manlius *f* ſubiicit: Quid ergò Chainus de lapide Bezoar? lapidem hunc temperatura non frigidum, & ſiccum, non maximè calidum, non maximè frigidum, quod multi arbitrantur, ſed ſymmetrum in calore & frigore, cùm neutra harum qualitatum corpus afficiat, ac venenis cùm calidis, tùm frigidis reſiſtat, ſpiritus cordis maximè reficiat, ſubſtantiamque ipſius corroboret proprietate occulta, ſeu facultate Bezoardica, vt loquebatur.

Eadem & Richardi ſententia: licet, ſcribit, de ortu nobis non admodùm conſtet, effectus tamen & operationes mirabiles experientia pluries confirmatæ, haudquaquam ſuſpectæ nobis eſſe debent, quin potius medicina eſt ſalubris & benedicta humanæ naturæ amiciſsima, ex qua incredibili ſympathia operationes ſuas mirabiles edit, non quòd calidus, humidus, frigidus, ſiccus ſit, cùm omnis ſaporis expers reperiatur.

At Brudus Luſitanus, Sultanicis aromatibus præfectus, Manlio ad Cratonem l. c. referente, cenſuit temperamento frigidum eſſe gradu primo verſus ſecundum: ſiccum in medio ſecundi, &

di, & vltrà. Reuera autem de ſiccitate viſus eſt dubitare, cùm nunc in principio, non in fine ſecundi gradus eum ſiccum faceret, perſtitit tamen in medio ſecundi & vltrà. Sic Cæſar Claudinus *g* inter Alexipharmaca frigida recenſuit. Quæ opinio, Ryffio in ſua pharm. non placet, dùm à multis frigidus in ſecundo, & ſiccus tertio gradu cenſetur, his enim contradicere eos, qui loca illa longinqua perluſtrarunt, qui natura temperatos affirment: quare nec calefacere, nec ita potenter exiccare, quemadmodum alii lapides, idcircò eo nos tutiſsimè vti poſſe.

Boëtius *h* vult, in hoc lapide facultatem manifeſtam nullam præter eixccandi ac ſudorem mouendi, deprehendi: occultas verò quamplurimas. Nam nullum hoc tempore ad Venena, aliosque morbos difficiles prædicari præſtantius medicamentum lapide Bezoar, ſiue extrinſecus, ſiue intrinſecus adhibeatur.

Sed quæri poſſet, quomodo Medicinæ Bezahar operentur? Verùm conſiderandum primò venit, numquid remedia hæc ſint venenata, an ſalutaria, & vtrũ indiſcriminatim & quocunq; modo medicamentis his vti liceat. Galenus *i*, agẽs de facultate Alexiteriorum & Alexipharmacorum, cenſuit medicamenta Alexiteria & Alexipharmaca, naturæ duplicis eſſe, ita vt ex corpore patiente, ſeu venenum corrumpens, ſeu deleterium medicamen tollant, idq; vel alterando, vel euacuando. Quæ alterant, aut vna qualitate, aut duarum coniugatione, aut tota ſubſtan-

ſubſtantia alterare. Quæ euacuant, aut per attractionem, aut per diſsipationem euacuare: & quæ euacuant per attractionem, aut totius ſubſtantiæ ſimilitudine, aut caliditate ſubtilium partium attrahere & euacuare, & ſic quatuor eſſe differentias, duas alterantes, & duas euacuantes.

Addit inſuper, Alexipharmaca, quæ deleteria medicamenta alterant, naturam habere mediam inter corpora patientia, & medicamenta ipſa lædentia, vt videlicet eadem ſit proportio corporis ad facultatem Alexiteriam, quæ illius ad deleteriam: & rurſus deleterii, ad alexiteriũ, quæ alexiterii ad corpus. Eapropter propemodum omnia quæ deleteriis aduerſantur, ſi largius ſumpta fuerint, grauiter animantis corpus oblædere. Quapropter ea moderatione quantitatis exhibere oportet, vt neq; copia nimia corpus offendant, neque exiguitate ſua à deleteriis vincantur.

Auerrhoes *k* autem de hiſce medicamentis, quæ ab Arabibus & ab ipſo Bezohar dicuntur, verba faciens, voluit primo, medicamenta venena arcentia operari conuerſim, hoc eſt, quia quædam permutant ſua qualitate venenum, quando ſunt contrariæ: & quædam hæc agere à tota ſubſtantia: & quædam hoc facere ſua attractione. Dein, iſtas medicinas Bedazaricas non curare, niſi ſumantur, cùm in corpore diſpoſitio venenoſa eſt, facta à veneno, & tunc corpori inſerere virtutem contrariam, virtuti veneni, & ſic

ſic curari venenum quaſi per accidens. Tertiò, dicit, idcircò quando homo ſanus hiſce medicamentis vtitur, fieri ipſi, ſicut venenum, quibuſdam exceptis, vt ſemine citri, & ſimilibus. Quartò addit, propterea Medicos dicere, Medicinas Bedazaricas eſſe media inter corpora & venena: quam ſententiam non probat, quia medium & extrema ſunt vnius generis: & ſi ſint eiuſdem generis, ergò ſimilia eſſe: quare non poterunt corpora, ſi ſint ſimilia, curari. Propterea rectiùs dici, Bedazar eſſe in fine contrarietatis cum veneno: quia medicatio contrarietatis ſemper debet attribui contrarietati. Poſtremò cauſam affert, quare hæc remedia ſanis obſint, & non proſint niſi quando in corpore eſt diſpoſitio venenoſa. Ratio hæc eſt, quia iſtæ Medicinæ duas operationes habent in corpore humano. Vna eſt, quando recipiuntur, non exiſtente in corpore diſpoſitione venenoſa, tunc enim operantur vt venena. Altera, quando in corpore eſt diſpoſitio venenoſa, & ſunt ſicut venenum ex vna parte, & medicina ex alia, ſiue dicas tunc vt contraria venenis operari. Et quia potuiſſet aliquis obiicere, abſurdum videri, idem medicamentum contrarias edere operationes: concludendo reſpondet, non eſſe extraneum ſiue inconueniens, vt dicatur, quòd diuerſificantur actiones vnius agentis, diuerſificatis diſpoſitionibus ſubiecti locorum: hoc eſt, dicere ratione variæ diſpoſitionis corporis, idem medicamentum contrarias edere operationes.

Ex

Ex hac Galeni & Auerrhois ſententia, duo eliciuntur, vt rectè quoque Mercurialis *l*: primùm, Alexipharmaca neque prorſus ſalutaria, neque prorſus lethalia, ſed media eſſe, & qua ſunt lethalia, venenis, qua verò ſalutaria, corporibus aſsimilari. Alterum, Bezaartica, venenatos iuuare, non venenatis nocere. Hinc Antonius Portus *m*, inter naturæ ſagacisſimę arcana hoc vnum maximè putat, quòd Alexipharmaca, & Bezahardica medicamenta, vt Auerrhoës affirmat, id operari poſsint, vt in his qui venenum hauſerunt, venenum interimant, non venenatis autem, ſint inſtar veneni. Quare Gabelchouerus *n* ſcribit, lapidem Bezoarticum non curare, niſi adſit diſpoſitio venenoſa in corpore à veneno, vel illi non abſimili producta: quia hi lapides corpori conferunt virtutem quandam, quæ eſt contraria virtuti veneni. Sunt enim medium quoddam inter corpus & venenum, ita vt ſint ex vna parte ſicut venenum, & ſicut medicina ex alia, non quòd ſint medicinæ ex parte, qua ſunt venena: non enim abſurdum eſt actiones ſiue operationes diuerſas ab vno agente prodire, pro ſubiecti & locorum diſpoſitione varia. Vnde ſani homines ab eorum vſu abſtinere debent.

Quod & Cæſalpinus *o* haud dubiè voluit, dũ lapidem hunc vim aliquam deleteriam continere, vt ſoleant Alexipharmaca, aſſerit: quod hoc ſigno comprobat, quod experientia conſtet, à lapide vero aſſumpto dentes nigreſcere,

vt ſuprà monuimus. Hactenùs de lapidis huius temperamento, & quomodo medicinę Bezaardicæ operentur.

a de temper. ſimpl. cap. 386. *b* in 6. quarti cap. de cura eius qui venenum in potu ſumpſit. *c* lib. de venenis cap. 86. *d* de peſte cap. 46. *e* epiſt. 191. *f* epiſt. 191. & ex eo à Bra. *g* de ingreſſu ad infirmos lib. 2. ſect. 2. cap. 22. *h* lib. 2. de lapid. cap. 193. *i* 8. ſimp. 18. *k* 5. collect. 23. *l* de compoſ. medic. 23. *m* lib. 3. de peſte cap. 12. *n* in annotat. ſuper cap. 38. Baccii. *o* lib. 2. de metall. 46.

DE LAPIDIS BEZAARIS VERI, DOSI, SIVE QVANTITATE.

CAPVT XXXIV.

ALexipharmacorum quantitatem definire, difficile admodum eſt: nam ſi rationem ſpectemus, planè nullam habemus: ſi veterum auctoritatem, ex iis nulla certa ratio inueniri poteſt. Non ergo mirum ſi de huius lapidis doſi ambigatur: aliis magnam probantibus, eò quòd nullam facultatem noxiam habere credant. Quare nonnulli, referente Cæſalpino, non timentes noxam ex medicamento, cui nulla ſit qualitas inſignis, ad grana triginta propinare audēt; quam quantitatem Garzias *a* reprehendit: nam (addit) tametſi nullas noxias facultates hic lapis in ſe contineat, tutior tamen eſt eius exigua quantitas: atque etiam parua quantitate exhibere ſolent in Ormuz, nec ſine periculo liberalius ſumi dicunt: Hæc Garzias.

At, ut

At, vt Vlmus *b*, in Ormutz clariſsimo ſinus Perſici emporio, ad grana decem perueniunt, ſi exceſſerint, ſubſequi noxam arbitrantur.

Improbat & Cæſalpinus, minimeque tutum aſſerit, cùm omnia metallica, & quæcunque venenis aduerſantur, aliqua ex parte naturæ humanæ inimica ſint: vtitur teſtimonio Galeni ſuperiore capite adducto, qui talia in moderata quantitate probat, ne vel copia offendant, vel exiguitate ſua à deleteriis vincantur. Deleteriã autem vim ineſſe, oſtendit, quia dentes nigros reddat. Probat ergò ſi ad imitationem eorum, qui circa Ormuz degunt, non niſi exigua quantitate exhibeatur: pondere enim trium granorum exhibent, & quotidie per plures menſes in morbis diuturnis. At vrgente qualitate venenoſa, ſatiùs ducit, ſi ampliore pondere ſumatur, idque rarius, vt vnica vice aut altera venenum vincatur, tardare enim, & mollius agere periculoſum eſſe.

Manlius in Epiſtola *c* ad Cratonem quærit, cur medicamentum hoc corroborans ac alexipharmacum, & omnibus ſuis facultatibus, vt putatur, innocuum, tam parua quantitate, & quaſi trepidanter ſumatur: Wittichius reſpondet, etiamſi nil nocere poſsit, tutiùs tamen in minori doſi ſumi: quia, inquit, Ryff. in pharm. reform. ſic natura commodiùs iuuatur, & morbo reſiſtitur.

Nunc doſes variantes ſubiiciamus.

Doſis minima eſt à grano vno, ſumma verò

drachma vna, vt nunc oſtendemus: etenim Villanouanus *d* Arabũ Bezaar ſemilenticulę quantitate (alii quantitate vnius grani milii, legunt) in puluere ſumptum, potentiſsimè à veneno liberare aſſerit: & Cardanus *e* Amatum reprehendens, quod duo poſuerit, aſſerit ſe vidiſſe vnum tantum granum omnis veneni vim fregiſſe. Garzias vnum vel alterum quotidie in morbillis exhibet. Æthiopes, à grano incipiunt, & ſingulis annis granum vnũ addunt, bis quotannis aſſumentes, Hûeblino referẽte. At Iordanus *f* ab vno alteroque grano ad decem & duodecim accedit.

A` duobus granis ad decem, habita ratione ægri & morbi exhiberi ſolet, etſi dicant Æthiopes in Ormuz (ad maris vel ſinus Perſici fauces) & Corazone pondus triginta granorum ſumere, Chriſtoph. Acoſta, ex Garzia.

Ad grana tria cum Monardi (qui nonnullis per dies aliquot, nonnullis per ſuos continuos menſes quotidie exhibuit) Amatus & Cæſalpinus accedunt: at Vlmo, conſueta quantitas triũ granorum pondus haud ſuperat: grana tria parturientibus & aliis, Gabelchofer: tria vel quatuor grana, cũ aqua roſarum, Solinander *g* probat: tria, ſex, aut duodecim grana, ſecundum arbitrium dantis, Fragoſus.

A` granis quatuor ad duodecim, Brudus Luſitanus: à granis quatuor vſq; ad ſex, Carolus *h* Gallus.

Grana quinque contra Napellum, probat Richardus

chardus *i*: tantundem in aqua Boraginis, ad sudorem in febri continua, commendat Cornarus *k*: à granis quinque ad duodecim, potest tamen plus minúsve pro re nata sumi, secundum Lonicerum.

Sex grana cum sudorificis in lue Vngarica propinat *l*, Rulandus & Claudius *m* grana sex, ex aqua florum citri, vel arantiorum, vel aqua rosarum cum acido citri aut lemonis exhibet: imò ad grana decem: & vbi nullus feruor adest, ex vino odorato dari posse, scribit. Verùm Diomedes Amicus *n* scribit dosin secundum opinionem omnium esse à granis sex vsq; ad duodecim, se verò sæpiùs in peste ad viginti quatuor dedisse.

Decem grana, Indi opulẽtiores sanitatis causa diebus quinque continuis in stillatitio rosarum liquore maceratis, sed post purgationem, & quidem bis in anno, Martio & Septembri assumunt, Garzia *o* monente; addit Paræus, esse qui triginta sumant, cautiores tamen duodecim non excedere: & Portus *p* tantundem cum saccharo rosato aduersùs venena probat: quam dosin maiorem esse Richardus asserit.

Duodecim grana ad sudorem propinat Arnoldus, & ex eo Scillerus *q*: tantundem in lue Vngarica, Rulandus; & Heurnius *r* in febri pestilentiali, sed aliis admixtis. Et quamuis Richardus maiorem dosin decem granorum frumenti esse velit, credit tamen etiam scrupulum vnum atque alterum, à sanis absque periculo,

aut nocumento aliquo ſumi poſſe, quare & Imperatorem Turcicum ſæpiùs in anno, etiam ſanitatis tempore aſſumere.

Drachmæ vnius pōdere Regulos ſumere, Abraham Luſitanus affirmat, Brudo referente: & Mercurialis ∫ drachm. vnā ſummā doſin ſtatuit.

Audiamus tandem & Syluaticum; quantitatem eius ſingula quaque vice ægrotantibus offerendam, non ita facilè fuerit determinare, ob opinionum obſeruatam varietatem. Nos ſanè iis non aſſentimur, qui medicamenti huius quantitatem, vnà cum Theriacæ quātitate præſcribendam volunt: diſpar omnino & maximè diuerſa cùm ſit huius vtriuſque medicamenti natura. Vim propriè Alexipharmacam habet Theriaca ipſa, cuius quantitatem cōuenientem qui exceſſerit, maximè ob id nocere Galenus cenſuit, quia naturam habet mediam inter corpora perpetientia & medicamenta ipſa lædentia: vt videlicet eadem ſit proportio corporis ad facultatem alexiteriam, quæ illius ad deleteriā: & rurſum deleterii ad alexiterium, quæ alexiterii ad corpus. Hanc facultatem præciſè lapis Bezaar non habet, tametſi venenis aduerſetur, & propterea eius vſus tutior eſt, nec in illius quantitatis oblatæ excedentia tale periculum contingit. Habet tamen & ipſe ſuæ conuenientis quantitatis terminos quoſdam, quos ſi multum exceſſeris, ægrotantibus detrimentum adferre non vno nomine poſsis: econtra, ſi multū infra ſteteris, minimè iuuabis. Eorum igitur

Medi-

Medicorum opinionem non adprobo, qui vſque ad pondus granorum triginta, ſingula vice exhibendum eſſe voluerunt: idque non ea ratione damno, quod in hac quantitate, ægrotantium ſumptus nimium excedat: ſed quoniam puluere hoc multis diebus (non enim in febribus dictis, vnica aut iterata eius oblatio ſufficere poteſt) in tanta quantitate oblato, ventriculus omnis grauabitur, illamque quantitatem ſuſtinere non poterit, nec rectè diſtribuere: erit autem longè grauius erratum huiuſmodi in venenorum curatione, quæ huiuſmodi medicamentorum etiam eodem die repetitam oblationem ex neceſsitate poſtulat. Minùs etiam cum iis ſentio, qui huius lapidis trium granorum pondus excedere auſi non ſunt, quorum vnus fuit Monardes: certus cùm ſim paruã hanc quantitatem, eas vires habere non poſſe, quæ venenis & febrium dictarum excellenti putredini valdè reſiſtat & aduerſetur.

Dicat quis fortaſſe, longum vſum, quantitatis defectum reſarcire tandem poſſe: eſto, ſed cùm venena pernicioſiſsima ſint, & febris peſtilentis motus lethales celerrimi, tantas nõ dant inducias: ſique lentè cum eis pugnabis, oppugnaberis, non oppugnabis. Hac eadem ratione non ſunt ii audiẽdi, qui granum vnum, ad ſummum duo non excedunt. Serapionis auctoritatem hac in re maximi ipſe facio, qui duodecim granorum hordei pondus hoc eſſe voluit: quantitas meo iudicio, eius mediocritatis, quæ inter

multam & paruam media eſt, quæ ſuas vires contra morbos ſæuiſsimos valenter exercere poteſt, & à ventriculo probè ferri & diſtribui.

Nolim tamen exactè adeò hanc quantitatis metam ſiue legem accipi, vt non poſsit illa, aut minoris ætatis, aut imbecilli ventriculi cauſa, alteriúſve cuiuſpiam vrgentiæ, quadantenus diminui: infra tamen granorum ſeptem pondus, ſubſiſtere neminem debere exiſtimo. Itaque Chriſto: Acoſtæ ſententiam in eo non recipio, quòd duo tantùm grana interim exhibenda eſſe cenſuit: eam tamen eius partem laudo, quæ ad decem vſque grana quantitatem hanc augeri poſſe, voluit. Qui igitur ſeptem, qui decem, & qui duodecim grana offerenda determinarunt, mea opinione rectè determinarunt: hancque communem huius temporis Medicorum noſtrorum ſententiam eſſe video. Illud etiam ſcriptores omnes affirmaſſe legimus, atque à Medicis omnibus obſeruari ſcimus, Peruani ſcilicet lapidis tanquã imbecillioris, paulò plùs exhibendum eſſe: minùs de Orientali, qui valentior eſt: hactenùs Syluaticus. Et hæc de pondere & doſi, qua lapis hic ab auctoribus exhibetur: ego verò ad grana quinque, etiam ſex, ad ſummum nouem hactenus exhibui.

a lib. 1. cap. 45. idem Iordanus de peſte tract. 3. cap. 9. *b* de occultis in re medica lib. 4. cap. 5. *c* 191. *d* de doſib. theriaca lib. & ex eo Penotus. *e* 3. de venen. 2. *f* de peſte tract. 3. cap. 9. *g* in conſultat. ſect. 2. conſ. 60. *h* de feb. peſt. tr. 1. cap. 30. *i* in epiſtol. & ex eo Cornarus & à Bra. k lib. obſer. cap. 32. *l* de lue Vngar. hiſt. 30. *m* de ingreſſu

ingressu ad infirmos lib 2. sect.2. cap. 22. *n* lib. de peste cap.46. *o* item Fragosus, Paræus, VVittichius. *p* 3.de peste 12. *q* de peste Britan. sect. 2. cap.7. *r* & ex eo à Bra. *s* de peste cap.43.

DE PARTE QVAE EXHIBERI DEBET, TEMPORE, persona, & vtendi modo.

CAPVT XXXV.

Dictum fuit superius, lapidis cauitati puluisculum inclusum reperiri, quem maioris, quàm lapis efficaciæ esse Monardis *a*: at Fragosus *b*, eiusdem cum lapide facultatis asserit: Verùm cùm eiusdem cum lapide sit substantiæ, vt rectè Monardis *a*, idcirco & lapis, & in eius cauitate inclusus puluis exhiberi possunt.

Quo verò tempore sumi debeat, non omnes idem statuunt, sunt qui quouis anni tempore sine omni periculo exhiberi posse censent, vt Lonicerus *c*: quare Christoph. Acosta *d*, singulis quindecim diebus semel ad imitatiorum Persarum, qui vt saniores sint & vegetiores persistát, singulis mensibus bis assumunt. Ormuz incolæ, vti iam suprà monuimus, Martio & Septembri mense, sed præmissa purgatione, quinque diebus continuis vtuntur: Æthiopes verò, tantùm bis in anno.

Quare, si quæratur, quo tempore ille ægrotantibus offerendus sit: Respondetur cum Syl-

uatico *e*, diſtinguendum prius eſſe, Veneni'ne an Febris putridæ occaſione, eo vti neceſsitas requirat. In Venenis namque vſque ad omnimodam eorum euictionem, ab initio morbi vſque ad finem incluſiuè eo vti Medicus cur non debeat, rationem nullam video.

At in Febrium putridarum curatione, Medici tempora duo, vniuerſale vnum, particulare alterum, conſiderare ſolent. Vniuerſale tempus quadruplex eſt: principium, augmentum, ſtatus, & declinatio: in quibus omnibus temporibus, declinatione excepta, tali medicamento, Medicum vti debere, eo argumento perſuaderi, vel facilè quiſque poterit, quia ad excellentem putredinem febrium peſtilentum euincendam, illud in vſum veniat: quæ quidem putredo iis temporibus maximè viget, & naturæ potentiſſimè aduerſatur, propterea auxilio valdè potenti eget. In declinatione verò, cùm putredo à natura iam euicta ſit, præſertim ſi criſis in ſtatu præceſsit, tanto auxilio illa non eget, ſed ferè ſola virium inſtauratione.

An verò in morbi initio & augmento vniuerſali, tuto lapis hic offerri poſsit, viri graviſsimi, magna ratione dubitarunt: quia ſcilicet Serapione *f* monente, ſudorem mouere ſoleat is, qui Orientalis ſit: Occidentalem verò, ventrem mouere, aliqui voluerunt: quorum neutrum in vniuerſali morbi initio, in quo crudi ſunt humores, ſicuti & in augmento conuenire, ſatis manifeſtum eſſe puto.

Ad-

Addit Syluaticus, neque etiam in ſtatu, antequam omnino concocti ſint humores, huiuſmodi medicamentum conuenire. Siue enim ſudorem mouerit, ſiue aluum excitauerit, his temporibus natura à coctione diſtrahetur, & ægrotanti damnum euidentiſsimum & penè irremediabile accedet. Verùm difficultatem hanc dirimi poſſe, hoc modo iidem exiſtimarunt, ſi dixerimus, Serapionem affirmaſſe, à veneno aſſumpto lapidem Bezaar ſudorem mouere, eiúsque medio venenum expellere: neque de febribus locutum fuiſſe, quibus quidem non ad expellendum quàm celerrimè venenum, ſed ad putredinem excellentem euincendam, huius medicamenti vſus conuenit. At Serapionis ſcripta attentius legentibus, illud manifeſtè innoteſcet, illum non præcipuè de lapide Bezaar enuntiaſſe, quòd venenum per ſudorem expellat, ſed de lapide ab Arabibus Chobori dicto, qui lapidi Bezaar ſimilis eſt: eumque lapidem non omnibus venenis aduerſari dixit, ſed tantum venenis animalium & plantarum, morſibus & puncturis venenoſorum. Quapropter quod huic lapidi ineſt, illud idem lapidi Bezaar ineſſe, nulla ratione affirmari poteſt. Vtcunque ſit, inquit Syluaticus, lapides Bezaar ſiue Orientales ſiue Occidentales, quibus hoc tempore vti ſolent Medici, ſua natura ſudorem mouere & aluum ſoluere, qui cognouerint, neſcio: nos ſanè, & nobiſcum multos alios, tale quid non cógnouiſſe affirmamus.

Quod

Quod ſi aliquando eueniſſe contingat, aut poſthac continget, horum effectuum aliquem, lapide Bezaar oblato euenire: id certè non lapidis cauſa eueniſſe, ſed naturæ prauos humores ante tempus euacuare conantis, Cigalinus cenſuit. Aſt huic ſolutioni, Nicolai Monardis *g* & Chriſtophori Acoſtæ *h* auctoritatem, ſi quis opponat, qui talem ſudorificam facultatem lapidi Bezaar tribuerunt, præterquam quòd illi hac in re Serapionem ſunt ſecuti, illis opponuntur alię auctoritates: ſiquidem nec Garzias ab Horto *i*, nec Ioſephus Acoſta *k*, neque etiam Petrus de Oſma *l*, qui in ipſa India, animalia lapidē hunc in ventre habētia, propriis manibus quam plurima occidit, lapidem extraxit, eius facultates omnes obſeruauit & ab Indis obſeruatas diligētiſsimè didicit, talis facultatis lapidis Bezaar, minimè meminerunt. Hæc de vniuerſali tempore dicta ſunto: nunc de particulari.

Particulare tempus rurſus conſiderari poteſt, vel quatenus contra venena, vel quatenus in Febribus exhibetur. In venenorum enim curatione, quocunque diei ac noctis tempore, à cibo & ante cibum exhiberi poteſt ac debet, etiam eodem die ſæpius, quo venenum ſuperetur, Alexipharmaca exhibenda ſunt. In febribus verò, quietiore tempore & ventriculo ieiuno, horis ante cibum plus minus quatuor. Chaini ſententia fuit, quam Manlius in epiſtola ad Cratonem *m* ſcripta refert: in morbis tempore oportuno propinandum, & non niſi poſt vniuerſales

euacua-

euacuationes & exobſtructiones, alioqui humores peccantes agitari,& vehiculum ipſorum ad locum affectum fieri.

Quanto verò tempore lapide hoc vti expediat, Syluaticus vnius neceſsitatis vrgentis durante præſentia,breuiter determinari rectè poſſe exiſtimat; ſiue venena, ſiue excellentem febrium putredinem euincere neceſsitas ferat. His enim potentiſsimis vitę inimicis,aduerſantes Medicos, vſque ad abſolutam victoriam,aduerſari par eſt: ne fortè inimicorum reliquiis aliquibus in ſuo vigore relictis, morbus iterum reuiuiſcat,& ſic ægrotantis conditio deterior euadat. Quare idem reprehendit, eorum Medicorum errorem, qui in Febribus peſtilentibus, ſimplici, duplici, ad ſummum triplici huius lapidis exhibitione contenti ſunt.

Si de perſonis agatur,hæc Richardi *n* ſententia eſt: mihi (ſcribit,) vt verè,quod ſentio,ſemel dicam,videtur Bezaar, medicamentum eſſe regium,facile,placidum,omni periculo carens,&, vt Aetii verbis vtar, pueris,mulieribus,ſenibus, tutiſsimè datur hæc medicina, vel ſub ipſo canis feruore,quo præcipuè tempore,reliqua medicamẽta omnia ſuſpecta ſunt, quandoquidem corpus nullo alio pacto alterat, debilitátve, ſed maximè roborat.

Nunc vtendi modum ſubiiciamus. Vtendi modus varius eſt: vel enim in cibo,aut potu aſſumitur: vel confringitur,vel in *o* ore detinetur, & quidem vel lingua circumactus,vel aliter ore

volu-

volutatus : vel maceratur in aqua, vel in pulvere exhibetur: vel quod mirandum magis eſt, ex ceruice ſuſpenditur, vel ita alligatur, vt cutim tangere poſsit: vel, vt Sarracenus *p*, vt nudam ſiniſtri lateris carnem contingat: cùm nullis ex præſtantiſsimorum genere, quantumuis eximiis aduerſus venena præſidiis cedere videatur: puluis etiam, addit Fragoſus *q*, morſibus & anthracibus aſpergitur.

Modus exhibendi communiſsimus eſt, monente etiam Syluatico, vt in puluerem tenuiſsimum redactus, exhibeatur, quo facilior ſit illius ad corporis venas internas, aliosque patentiores meatus, diſtributio, eiuſdemque à calore naturali ad actum celerior reductio.

Ne verò ob ſuam terreſtreitatem faucibus & œſophago nimis adhęreat, & de ſua conuenienti doſi, quidpiam in his partibus, deperdatur, Medici ſolent liquorē aliquem, qui lapidis puluerem promptius in ventriculum deducat, adiungere, & quidem liquorem talem, qui & ipſi morbo, cuius gratia exhibetur, aliquomodo aduerſetur. Hinc alii cum *r* vino, alii cum aqua, alióve liquore propinant: in vino *ſ* cùm febris abeſt, aut in aqua ſtillatitia, pro morbi conditione. Diomedes *t* ſæpius cum vino Rhenenſi diluto, cum aqua roſarum, vel Scorzonerę, vel florum Arantiorum, aut Citri, vel acetoſæ, vel Boraginis, vel ſimili, ægris obtulit: at ſi acutior febris, abſque vino cum ſolis prædictis aquis; vel etiam cum aceti albi momento: vel cum aqua deco-

decocta cum citro in frusta disſecto, in quo cornu Vnicornu infuſum detinet,eoque vtitur. Aquam propterea in febribus peſtilentibus, ex oxalide,meliſſa, ſcorzonera, boragine, citri floribus, & id genus aliis per alembicum vitreum deſtillatam, ad tres vel quatuor vncias,ad ſummum quinque adiiciunt: & quidem recta cum ratione ſecundum Syluaticum, qui puluiſculos huiuſmodi vnà cum Syrupo lubentius propinat, quia tunc ieiunus cùm ſit ventriculus, ſimul cum eo ad internas venas traducuntur. Quandoque etiam,aut palati delicatioris cauſa, aut etiam propter aliquam à capite fluxionem, dictum puluerem in Bolum cum aliquo ex recitatis liquoribus,reduci iubet: quem exhibendi modum ab Hippocrate *u* didicerunt,qui medicamenta maioris momenti offerens, ſtatim à medicamento deuorato, ptiſanæ quidpiam exhibere conſueuit: quemadmodum & Galenus in theriaca exhibenda admonuit: ad œſophagũ ſcil. abſtergendum, & medicamenti reliquias illius parietibus adhærentes, ſtatim in ventriculum deturbandas. Quod ſi fortè quis nec potioni, nec bolo aptus fuerit, nebulam, in aliqua ex ſupra dictis aquis madefactam,puluiſculo repletam,deglutiendam dat Syluaticus. Sic Portus *x* ſaccharo roſaceo cõmiſcet: ſunt qui conſeruis corroborantibus: alii ſudorificis admiſcent. Monardes, cum Vnicornu pulueriſato: Raby Moyſes,cum ſemine citri dat: Diomedes Amicus *y*, cum Smaragdo ac margaritis miſcet,

ac propinat: quibusdam z in locis, ex lapide in puluerem comminuto, & aqua rosarum asperso, tabellæ conficiuntur, quæ in vsum asseruantur: sed consultius est, si lapis tunc, quando eius vsus esse debet, comminuatur (ita tamen, vt, monente Fragoso, instrumento aureo, aut argenteo radatur, ne terendo virtus ipsius exhalet) nam eiusmodi tabellę cum margaritis comminutis, cornu cerui & ossibus elephanti, &c. valdè adulterantur.

Cum medicamentis vomitum promouentibus, Amatus exhibet: & in hausto veneno, vomitoriis permiscere Mercurialis *a* iubet: in diuturnis & importunis morbis, quatuor vel quinque grana purganti pharmaco miscent. Verùm placet Syluatici sententia, qui censet vnà cum lapide Bezaar, aliud medicamenti genus miscendum non esse, quod & Arabes ipsi damnarunt: facilè enim euenire potest, vt ea medicamenta, quæ eandem in genere facultatem habent aduersus venena, ea inter se antipathiam aliquam habeant, secretiorémve inimicitiam adhuc non cognitam, quæ vtriusque medicamenti simul mixti actionem è vestigio impediat. Quin etiam Indi ipsi, qui primi medicamentum hoc cognouerunt & inuenerunt, illudque primi pariter in vsum medicum traduxerũt, eo simplicissimo & impermixto vti consueuerunt, quemadmodum ex sæpius citatis Indicis scriptoribus colligere est.

a lib proprio. pollentiorum virium eiusdem materiæ,

Iorda-

Iordanus de peste tr. 3. cap. 9. *b* & Paræus. *c* in herbar. German. *d* cap. 21. *e* lib. de Bezoar. *f* de temper. simpl. cap. 386. *g* lib. proprio. *h* cap. 21. *i* de aromat. Indicis. k lib. 4. hist. natur. Ind. cap. 42. *l* in epistol. ad Monardem. *m* epist. 191. *n* in epist. *o* Fragosus & Sarracenus. *p* de peste. *q* de aromat. Ind. *r* Iordanus de peste. *s* Ryff. reform. *t* de peste cap. 46. *u* de rat. victus in acut. *x* lib. 3. de peste cap. 12. *y* de peste ca. 46. *z* Ryff. in pharmac. *a* de venenis cap. 12.

QVOMODO SANITATEM CONSERVET, ET SVDOREM promoueat, & num vtiliter id fiat.

CAPVT XXXVI.

LApidis huius intra corpus vsus est, vel ad sanitatem conseruãdam, vel morbos profligandos. Quare Ormuz incolæ opulentiores, vt iuuentam, & membrorum robur sibi cõseruent, posteaquam singulis annis bis Martio & Septembri mẽse se purgarint, subsequentibus diebus quinque continuis, huius lapidis in doses singulas grana decem, in rosarum liquore stillaticio macerata, hauriunt, Garzia *a* auctore: interdum nonnulli (eodem *b* monente) vsque ad triginta grana sumunt: & quidem auctore Christ. Acosta, ad præcautionem à morbis, cõseruationem sanitatis & iuuentutis: quare vt idem *c*, & Persæ dicuntur, singulis quindecim diebus semel, ad membrorum principum, & genitalium corroborationem sumere: sic enim se saniores & vegetiores persister:, sibi per-

N

ſuadent: Quinetiam (vt Boëtius *d* ſcribit) medicamentis purgantibus vehementioribus aliquot grana lapidis addunt, ne maligna illorum qualitas corpori obſit: hac enim ratione abſque dolore & noxa operatur medicamentum: quæ certè cautio vti non niſi prodeſſe poteſt, ita Medicis obſeruatu digna eſt: hæc ille. Imò vitæ humanæ robur, & iuuentutem conſeruare, & ſenium impedire poteſt, ſi Lonicero credimus, & ſi in anno aliquoties ſumatur, hominem à multis accidentibus præſeruat; quam ob cauſam, eodem teſte, Turcicus Imperator, ſæpiùs in anno aſſumere conſueuit. Refert quoque Manlius ad Cratonem *e*, ſe ex Abrahamo Luſitano auditione accepiſſe, Perſas ac Indos bis in anno exigua quantitate aſſumpta purgari: & Hüeblinus ex relatione Hyruſz teſtatur, Æthiopes opulentiores & magnates in India, quemadmodum & alios Ethnicos, pro ſingulari remedio ad ſanitatem conſeruandam, ſemel aut bis in anno hoc vti, à grano vno incipiendo & ſingulis annis quantitatem, vnius grani additione, augendo.

Sudorem mouere, ſunt qui aſſerant, & alii quidem laudabilem, alii lethalem, vel imperfectum. Etenim per ſudorem omne venenum deponere, ex Arnoldo Scillerus *f* refert: & Ryff, ſudores potenter mouere, & omnia maligna ad cutem pellere ſcribit: quemadmodum & Brudus Luſitanus *g* dicebat roborare virtutem vitalem, atque adeò adiuuando vim expultricem

cordis,

cordis, ſudores prolicere: & Amicus *h*, ſudorem copioſum mouendo, à tota ſubſtantia iuuat, ſi adulteratus non ſit. Verùm contraria eſt Syluatici *i* & Saxoniæ ſententia: Sic enim ille.

Sudores mouendi facultatem ſoli Orientali aliqui adſcripſerunt (qui Occidentalem aluum potiùs mouere, ſe obſeruaſſe dixerunt) quam quidem venena ipſa ſudore proritato ſuperare, & extrà corpus pellere, fuêre qui dixerũt: quod à nobis hucuſque an verum ſit, haud potuit obſeruari, ac multorum annorum adhibita diligenti obſeruatione innoteſcere haud potuit: Audiamus Saxoniam *k*. Reperio apud Scriptores, quòd eo ſumpto ſudor copioſus excitetur, poſt quem ſtatim ſubleuentur: Ego tamen non vidi ſudorem prorumpentem: vel ſi apparebat, erat ſudor imperfectus. Idem *l*, ſudorem tantùm lethalem, & diaphoreticum, nõ ſalutarem ſe vidiſſe ſcribit, quare ſeriò dehortatur omnes à lapidis huius vſu, ſanctè affirmãs ſe nihil commodi, etiam ex optimo credito, percipere potuiſſe. Hinc ex mineralibus ὑδρωτικοῖς quidem, ſed maligna qualitate præditis, hunc cõfectum eſſe, quidam ſuſpicantur. Fateor equidem me aliquoties vſum eſſe, ſed plerumq; eueniſſe quod Saxonia ſcribit, vel non erupiſſe ſudorem, vel imperfectum fuiſſe. Et Io. Baptiſta Syluaticus *m* credit hunc lapidem non ex ſe ſudorem mouere, ſed quod eo exhibito ſudor moueatur, id euenire vel à natura, vel ab alia cauſa.

a Ex hoc Fragoſus, Paræus, Cæſalpinus de metallicis,

VVittichius, Ryff. Boëtius de lapid. *b* Paræus, Cæſalpin. *c* ex Acoſta, Ryff. *d* de lapidib. *e* epiſt. 191. *f* de peſte Britan. ſect. 2. cap. 7. *g* referente Manlio ad Cratonem epiſt. 191. *h* de peſte cap. 46. *i* lib. controuerſ. 93. *k* lib. de febrib. cap. 37. *l* lib. de plica cap. 59. *m* in controuerſ. 93.

QVIBVS IN MORBIS VSVRPARI DEBEAT.

CAPVT XXXVII.

ETſi lapidis huius præcipuus vſus ſit contra venena & morbos venenatos & contagioſos, ita vt Monardes, contrà omnes morbos, quibus materia aut humor ineſt venenoſus prodeſſe aſſerat: Luſitani tamen, referente Cæſalpino, ab Indis edocti, huius lapidis vſum, ad multos alios morbos, quàm ad venena tranſtulerunt, & poſt vniuerſales purgationes, ieiuno ventriculo ſæpiùs propinant. Quare & Richardus, morbis ferè omnibus & præſertim venenoſis auxiliari, ex aliorum ſententia, tradit. Et Crato *a*, in magnis morbis eo ſe feliciter vſum eſſe, ſcribit. Attamen in omnis generis morbis, ſine omni periculo exhiberi vult Lonicerus: & quidam affirmare audet, huic lapidi cõtrarietatem propriam & determinatam contra quoſuis morbos ineſſe, illumque cum omnibus morbis antipathiam habere. Et ſanè nullus plures morbos enumerauit, ab huius lapidis vſu depulſos, ipſo Christophoro Acoſta, qui Medicos in vniuerſa India eo vti, ſicuti & in Perſia, Arabia & China oſtendit. Quare ordine nunc,

quibus

quibus in morbis vſurpetur, ex auctoribus recenſeamus.

Deploratos, atque à Medicis derelictos, huius vſu, priſtinæ ſanitati reſtitutos fuiſſe, intelligo, ait Garzias *b*: idem addit, hoc defatigatos & debiles ad robur conciliandum, & carnem augendam vti. Imò in chronicis & diuturnis morbis commendatur, vt probat exemplum à Richardo propoſitum, quod infrà adponemus. Nunc ad particulares morbos, à capite facto initio.

Vertigini prodeſt, auctore Monardi & Cæſalpino.

Epilepticis pueris plurimis profuit, Monardes: vel cum, vel ſine lacte datum, Paludanus: quare contra Epilepſiam efficax, Laçunę & Cęſalpino: in Epilepſia ab aliis laudari, ait Brudus. Sed quid Boëtius bb? Ad epilepſiam, morbúmque ſacrũ, ſiue adultos, ſiue infantes oppugnet, non parum iuuat. Infantibus lactantibus datur cum lacte: adultioribus & viris, cum aqua lilii conuallium, pæoniæ, aut tiliæ. Pueris, pondere granorum duorum, viris triplum aut quadruplum, aut etiã plus, pro morbi & corporis conſtitutione offertur.

Ad Cordis affectus huius etiam vſus eſt, quare Solinander *c* aſſerit, certũ eſſe ipſius vſu vires Cordis mirum in modum refici: hinc in Cordis ægritudinibus, Orientalis inſignes facultates obtinet. Quare omnibus affectibus Cordis mirè auxiliari, ſi à granis quatuor ad decẽ cum liquo-

re conuenienti propinetur, Boëtius refert: quare ad Syncopen, in ipſo paroxyſmo, aut paulo ante ex aqua roſacea, ſi febris adſit, ſi abſit, ex aqua Cardui benedicti, meliſſæ, ſcorſoneræ, aut florum garyophillorũ, granorum quatuor pondere propinat.

Animi deliquio (ex quacunque cauſa, Lonicerus) diuturno (quod per interualla repetit, addit Cæſalpinus) pollinis grana tria in aqua Bugloſſæ, medentur, Monardes.

Palpitationi confert: Quare ſic Chainus, referente Manlio ad Cratonem *d*: Cordis ſpiritus maximè reficit, ſubſtantiamque ipſius corroborat proprietate occulta, ſiue facultate Bezoartica: & aduerſus palpitationem conducit, non tenuium partium ratione, ſed certa proprietate cor reſpiciente, cum in cordibus caprarum illarum reperiatur, ac experientia compertum ſit, quaſdam brutorum partes, ſimilibus hominum partibus ratione ſimilitudinis conferre: Et Brudus Luſitanus, eodem Manlio *d* referente, aiebat, roborare virtutem vitalem & adiuuando Cordis vim expultricem, ſudores prolicere: & ab aliis in palpitatione Cordis, & animi deliquio laudari. Idcirco Boëtius, quotidie mane ieiuno ſtomacho grana duo cum aqua meliſſæ oblata, multum prodeſſe aſſerit. Hinc Heurnius *c* inter Cor roborantia, ſi calor ſubſit, Bezoare lapide vtitur: vino item ex variis parato, ſingulis doſibus parùm lapidis Bezoar addere iubet. Electuarium quoque ſubiungit, ex margaritis, hyacin-

hyacintho, moſcho & aliis, quibus Bezoaris ſcrupulum admiſcet. Idem in ſua ad praxin methodo *f* inter ea quæ cor humidum alterant & roborant, lapidem Bezaar, & Hyacinthum refert. Et Guil. Fabricius *g* inter cor corroborantia & Syncopen in Dyſenteria auertētia recenſet. Gregorius Horſtius, aliàs apud Gieſſanos Profeſſor, nunc verò Reipub. Vlmenſis Archiater, amicus noſter ſingularis, inter Cardiaca *h*, & quidem ea quæ tetros vapores expurgādo, cordis robur firmant, imò inter medicamenta occulta vi alterantia, repoſuit. Quare delicatioribus fœminis, quæ vel cordis ſaltu afficiuntur, & iis præſertim, quæ melācholicæ ſunt, quibúsve ſemen corruptum eſt, exhibet Roderius à Caſtro *i*: aſſumuntur, inquit, ſingulo mane quinque vel ſex grana, in ſubtiliſsimum puluerem redacta, & aqua aperiente vel conuenienti diſſoluta: vel admiſcentur conſeruæ Adianti, ſeu Boraginis, & parùm aquæ eiuſdem herbæ, ſuperbibitur: aut tabellæ concinnantur, vtiliter, etiam adhiberi alicui ex Electuariis ex chalybe confectis, aut rotulis cordialibus & aperientibus. Sed hîc quæri poſſet, an non illa medicamenta, quibus hic lapis miſcetur, abſque huius lapidis admiſtione, idem præſtare poſsint: & ſi poſsint, cur hic, ad pretiū fortè augendum, additur; vel ſi hic lapis tantarum virium, cur non ſolus exhibeatur.

Pleuriticis & Peripneumonicis, multū conferre, à fide dignis Brudus accepit. Et Amatus,

lateris dolorem peruicacē, etiam maligna qualitate admixta, curauit: in quo casu, cum aqua Scabiosæ, aut Cardui Benedicti, Gabelchouerus vtendum censet. Quare Pleuritidem deploratam sanare, Lonicerus asserit: & sanè in Galliis, generosum quendam pleuriticum, à Medicis derelictum, hoc sanitati restitutum fuisse, mihi relatum fuit; verùm, felix is Medicus est, qui in declinatione morbi vocatur.

Ictero mederi, auctor est Auenzoar *k*: testatur enim se hoc vno medicamento, quendam (qui periculosissimum venenum ingurgitarat, quod cùm biliosum esset, protinus vniuerso corpori auriginē induxisse) granis tribus cum vnciis quinque aquæ cucurbitæ exhibitis, curasse. Verùm loquitur Auenzoar de eo Bezoare, qui ex cerui lacrymis condensatis generatur. Attamen, cùm hic, de quo loquimur, lapis, fellis obstructionem tollat, Monarde monente, idcirco & Icterum curat secundum Lonicerum: & Crato *l*, cuidam Icteritia laboranti dedit, quem vrinam nigram, atramenti instar, minxisse vidit, & melius habuisse affirmat. Quin & Cholericæ passioni, autore Christ. Acosta, medetur.

Appetitum prostratum, eodem auctore corrigit: quare ad stomachi vexationes Lusitani, memorante Cæsalpino, propinant. Relatu dignum, quod Ludouicus Guyon *m* ex Theueto refert, pellem huius animalis, ipsi ventriculo, aduersùs ipsius dolores, & eiusdem deprauatam concoctionem imponi, eiusmodi enim mor-

morbis, etiam in decrepitis mederi.

Colicam & ventris dolores tollit, Lonicerus.

Dyſenteriæ vtilem, & in epidemica dyſenteria Lugduni feliciter ſe vſum, Philipertus Sarracenus Medicus Lugdunenſis, amicus noſter, ad nos perſcripſit. & Guil. Fabricius *n* aſſerit, ſe experientia edoctum, lapidem bezoar in dyſenteria præſtantiſsimum eſſe; cuius hiſtoriam infrà adponemus. Sed idem & pomo odorifero quo præſeruationis cauſa vti liceat, multis aliis lapidem bezoar addit.

Vermes necat, Chriſt. Acoſta *o*, quod *p* & Mõtanus, & Amatus ſuis ſcriptis tradidere: contra hos enim admirabilis efficaciæ, cùm eos expellat, & à ſymptomatibus quæ parere ſolent, liberet, Monardes: ſi nulla febris adſit, ex vino datum, Amato *q*: ſi febris adſit, cum aqua ſtillatitia portulacę, Fragoſo: vel cum ſucco limonum, vel citri, vel eorundem ſyrupo, Ryff; & quidem in infantibus grana tria, Lonicerus præſcribit: & Boëtius ad vermes & tineas felici ſucceſſu cum aqua graminis, aut cardui benedicti, ſolum lapidem propinari affirmat.

Calculum renum eiicit (atterit Brudus) in veſica comminuit pollen ex vino propinatum, Lacuna: quare renum ac veſicæ vrinam, & ex iis viſcidam materiam pellit, referente Acoſta.

Ad Vteri moleſtias, Luſitani propinant, Cæſalpinus: quare menſium obſtructiones tollit, Monardi: & in vteri ſtrangulatu, prodeſt ſumere grana ſex Bezoar orientalis cum aqua Ar-

temisiæ, auctore Roderico à Castro *r*.

Partum facilitat, & secundas pellit, Christophorus Acosta: tria huius grana cum aqua liliorum alborum, betonicæ vel pulegii, parturientibus exhibita, secundas remorantes, certo experimento educunt, vt Gabelchoferus asserit.

In Morbis Melancholicis inueteratis, Indi, Ormutz & Corasone incolæ vtuntur, Garzias *s*: sic Iordanus *t*, veterrimis melancholicorũ morbis succurrere, asserit: & quidem caput, cerebrum, & cor afficientibus, Ryff. Quare Abrahamus Medicus Lusitanus, qui in India annis aliquot egit, asseruit à Regulis ipsis, ibi lapidis huius drachmam vnam, ad expurgandam infernè bilem atram sumi: quod etiam à Lusitanis frequenter audiuerit: hæc Brudus. Monardes *u* in mœstitia & melancholia, & melancholicis animi deliquio afflictis, tria grana ex aqua Buglossæ, propinat. Sic & Boëtio, ad melancholicos humores domandos, siue vniuersum corpus, siue eius duntaxat partem nempe caput occupent, miros effectus præbet, & cutis vitia ab iis causata tanquã præsens remedium sanat. Et Solinander *x*, aduersus omnes melancholicos morbos probat, certoque ipsius vsu cordis vires mirum in modum refici: quare nobili cuidam puellæ à qualicunque purgatione iubet tria, vel quatuor grana puluerisata, in tantilla aqua rosacea odora exhibere. Idem comprobat *y* Franciscus Hildeshemius, his verbis: lapis Bezoar contra omnes affectus melancholicos confert,

&cer-

&c certum eſt ipſius vſu omnis cordis ac corporis vires, mirum in modum refici. Quare in melancholia hypochõdriaca, poſt aſſumptam purgationem, ſemper tria vel quatuor grana lapidis Bezoar ac tria grana Ambræ gryſiæ in aqua boraginis ac bugloſſę ſuperbibat, in qua aliquoties aurum ignitum extinctum ſit, vt hoc pacto cor corroboretur, ac tanto minus purgans medicamentum de viribus ac ſubſtantia corporis auferat ac tollat: hæc ille. Imò iis, qui abſque cauſa manifeſta mœſti ſunt, & anguſtiis oppreſſi, plurimum confert, quos reficit & exhilarat, Gabelchofer. Quare Heurnius z, lapis Bezoar inſperatam quandam lætitiam ſubitò affundit, eo ipſo die, quo fuerit hauſtus: & mox: cordis & hepatis ſanguinem mundant, Myrobalani chebuli & Indi, & Bezoar lapis, & Hyacinthus. Et vt caput hoc concludamus, lapis hic ad omnes diuturnos & importunos morbos, etiam qui à flatu originem ducũt, Panaceæ inſtar eſt, ſi præuia purgatione, per aliquot dies mane exhibeatur, modò Boëtio credamus. Fateor, me contra anxietates, aliquoties fœliciter ad grana ſex, etiá nouem exhibuiſſe.

a lib. de præſer. à feb. peſtilent. *b* ex eo VVittichius: Ryff, omnes à Medicis derelictos curat. *bb* lib. 2. de lapid. cap. 139. & Quercetanus in ſua Tetrade, in epilepſia exhibet opiatam corroborãtem ex variis capitalibus, tam ſimplicibus quàm cõpoſitis proponit, cui Lapidis Bezaaris veri ſcrupulum vnum addit. *c* conſil. ſect. 2. conſ. 60. *d* epiſt. 191. *e* cap. de palpitatione cordis. *f* lib. 2. cap. 5. *g* lib. de dyſent. cap. 16. *h* diſp. de medicam. diſp. 4. th. 33. & diſp. 5. th. 16. *i* de morb. mulieb. part. 2. lib. 2. cap.

cap.5. k lib.1.& ex eo Io.Agric. *l* consil.174. & ex eo Gabelhof. *m* lib.5.diuers.lect.cap.17. *n* lib.de dysent. cap.10. *o* Monardis, Lonicer. Paludanus. *p* Richard. *q* & ex eo Gabelhof. *r* de morb.muliebr. part. 2. lib. 2. cap.1. *s* Paræus, VVittichius, Cæsalpin. metall. Fragos. *t* de pest.tr.3.cap.9. *u* lib.2.de lapid.cap.193. *x* consil.sect.2.consil.60. *y* in Spicilegio 2.in consil.de melanchol.hypochond.à Christ.Henrico Ayrero cuidam dato. *z* lib.2.suæ meth.ad prax.cap.5.

AN IN FEBRIBVS IPSIVS VSVS ESSE DEBEAT.

CAPVT XXXIIX.

CVm febrium diuersa sint genera, alię quidem febres veræ, aliæ symptomaticæ, aliæ malignæ & cōtagiosæ, in earum cura alii probant, alii improbant. Amatus scribit, in febrium paroxysmis datum, sudorem excitando, à febre plerunque liberare. Sic Chainus dicebat, Manlio referente, non exhibendum in febribus non malignis, nisi post vniuersales euacuationes ac exobstructiones, alioqui agitare humores peccantes, & fieri vehiculum ipsorum ad locum affectum: tempore igitur opportuno tātummodo ad ipsius cordis corroborationem propinandum esse.

Febres putridæ: Augenius *a* reprehendit eos, qui putant non solùm pestilentibus ac venenatis, sed in vniuersum putridis febribus opitulari: insuper redarguit quendam, qui peruerso iudicio, nō modò in putridis febribus omnibus non pestilentibus, sed etiam pasśim in cunctis morbis, aut à materia, aut citrà materiam, eius

eius antidoti ſcilicet lapidis Bezaar vſum admittebat: cùm vnicuique morbo, propria & determinata contrarietas inſit, quam lapis ille cum putrida febre, omnibusque morbis antipathiam non habeat.

Febris quartana: Quartanis conuenire poſſe, arbitratur Garzias *b*: & quartanam pellere ait Ryff: quare Luſitani in quartana ſæpius exhibent, Cæſalpinus. Verùm Boëtius *c*, etſi quartanam febrim non ſanet, tamen eius aufert Symptomata: nam animi mœrores, anxietates, cordisque affectus, quæ in iſtis febribus vulgaria ſunt, lenit & aufert.

Febris catarrhoſa: in febri catarrhoſa in Hiſpania, lapis Bezoar plurimùm profuit, quo & Imperator, & alii, quibus ad manus fuit, vſi ſunt, Crato *d*.

Febres malignę *e*. Aduerſus febres malignas & epidemicas, commendant Monardis, Acoſta & Lacuna: & in aqua acetoſæ Luſitani propinant, Cæſalp. Fragoſus: earum malignitatem extinguendo, Amatus: contra has vtilis etiam eſt aqua, in qua lapis hic maceratus eſt, Monardes: malignitatem omnium febrium extinguere, proteſtatur Monardes, referente Diomede Amico *f*: quare in febribus peſtilentialibus, ſiue malignis Montanus, & Amatus *g* commendant, infrà hiſtoriam recitabimus; & inter præſeruantia in febri peſtilenti, Theriacam, Mithridatium, lapidem Bezaar, Matthæus *h* recenſuit. Mercatus *i* agens de medicamentis, febri mali-

gnæ

gnæ analogis, his, inquit, adiungitur lapis nuper ex Lusitanorum India apportatus, qui Bezoar ab effectu appellatur, quibus singulis vicibus grana quatuor aut quinque porrigere oportet, aqua aut syrupo, aut iusculo aliquo excepta. Augenius *k* febres pestilentes Bezoardicis indigere scripsit, quæ putridis conueniunt, vocat autem Bezoardica, Theriacam ex Galeno ad Pisonem, & Bolum armenam ex 9. simplicium, lapidis verò huius non meminit.

Aut vt Gallus *l*, desumuntur ex ipso Bezahar pro singula vice gra. quatuor vsque ad sex grana, cum vino albo odorato, aut alio aliquo conuenienti liquore, veluti est aqua acetosæ, tormentillæ, Scorzoneræ (scil. in febre maligna) iteraturque hoc medicamentum, bis, ter, quater, plus & minus, prout necessitas & opes assumentis exigunt: ac si quis huius frustulum in ore deferat, is nunquam contagioso morbo & & pestilenti, aut ab aliquo veneno affici poterit. Et Roberetus in febre petechiosa laudat.

In febre, quam stigmata rubra comitantur, & pulicum morsus instar per cutim aspersa apparent, probat Monardis. At Syluaticus *m*, ostendit lapidis Bezoar vsum non esse tutum in febribus exanthematibus coniunctis, si detur ad sudorem mouendum, quem ex se non mouere creditur, his verbis. Quo tempore exanthemata erumpere solent, crudus adhuc est vtplurimùm morbus, neque tunc sudores mouere rectum est ac tutum: & mox subiungit: cæterum in fe-

in febribus quoque huiuſmodi, lapidem iſtum exhibitum ſudorem ex ſe mouiſſe, etiam longo tempore ac multorum annorum adhibita diligenti obſeruatione, innoteſcere haud potuit: ita vt in eam tandem circa hanc rem deuenerimus deliberationem, non ex ſe mouere ſudorem hunc lapidem, ſed euenire interim, vt eo exhibito, vel à natura, vel ab alia cauſa, ſudor moueatur.

Aſt longè aliter Boëtius *n* ſentit, cuius verba adponamus: Peſtẽ febriumq́; peſtilentiũ virus, etiam earum quæ exanthemata, petechias, herpetes & papulas malignas producunt, cito ac miraculi inſtar compeſcit ac extinguit, ad quos affectus Indi quotidie cum aqua roſarum, puluerem duorum granorum pondere, propinant. Mihi exigua doſis videtur, vbi febres iam in ſtatu, aut prope ſtatum ſunt. Soleo tum ſex, aut octo grana magna vtilitate cum aquæ Acetoſæ vncia vna quotidie, donec vel ſudore, vel vrinæ profluuio melius habeat æger, propinare, eúmque ab omni potu alio per horam arcere, ne alterius potus acceſſu, actio ipſius lapidis hebetetur, aut impediatur. Meo enim iudicio errant vehementer, qui vel ante, vel poſt eius ſumptionem, aliquid ægro offerunt, etiamſi id æquale viribus lapidi putetur. Nam rerum ſæpe occultus diſſenſus eſt, nec homini notus, & talis, qui effectum optatum impediat & prohibeat, quem vtraque res ſeorſim vſurpata produxiſſet. Qui id non capit, Spiritus vitrioli & ſpiritus tartari

anti-

antipathiam perpendat: vterque enim iſtorum acidiſsimus & acutiſsimus eſt. Si miſceas, vtriuſque acrimonia perit, & liquor redditur inſipidus. Suadeo igitur, vt nobile iſtud medicamentum perpetuo ſolum, ſi eius certum cõmodum deſideretur, exhibeatur: hæc ille. Omnium *o* febrium ſymptomata, animi mœrores, anxietates & cordis affectus curat, quatuor granorum pondere ex conuenienti liquore ſumptus. Verùm Mindererus *p* lapidi Bezoardico ſoli, ne in febre quidem ſimpliciter auſteriore, vel parum maligna, nedum in peſtilente fidere vnquam vel voluit vel potuit, eò quòd lapides ex equo excretos Bezoardicis ſimulacro, colore, ſubſtantia ac nitore æquiparandos, excretos vidit, verum tamen lapidem Bezoar non contemnit, ne cum aliorum doctiſsimorum virorum experientiis certare videatur, At conſimilia figmenta plura in Medicinam clam irrepſiſſe, quæ vana ſpe & medicos & ægros, non modò aliquando fruſtra lactarunt, ſed etiam funebri exitu præcipitarunt, &c.

a epiſt. tom. 1. lib. 9. epiſt. 1. & 2. *b* ex eo Paræus & VVittichius. *c* lib. 2. de lapid. cap. 193. *d* epiſt. 105. *e* feb. malign. & diuturnis, Lonicerus. *f* de peſt. cap. 40. *g* centur. 3. cur. 74. Rulandus. *h* de febrib. peſtil. *i* lib. 7. de febr. k tom. 3. lib. 4. epiſt. 10. *l* de feb. peſt. tr. 1. cap. 30. *m* in controuerſ. 93. *n* lib. 2. de lapidib. cap. 193. *o* Heningus Scheuneman. lib. de morbo ſulphureo cagaſtrico, ſect. 2. cap. 4. *p* lib. de peſte pag. 221.

AN

An in peste huius vsvs esse possit.

Capvt XXXIX.

Lapidis huius in pestis & præcautione & curatione, vsus à quibusdam commendantur: quare inter medicamenta Bezaartica pestis venenum superantia, lapidem Bezaar, margaritas, os de corde cerui &c. Portus *a* recenset: hinc plerique pestis tempore lapidis huius fragmentum in ore gestant, tum quando à veneno, aut venenosa aliqua materia, sibi metuunt, Monarde referente: hic cum aquis violarum, rosarum sumptus, à peste mirè defendit, & posset tingi cornu monocerotis in aquis prædictis, cum ipso lapide exhibendum, ex sententia Fornesii, in suo de peste libello. Quare contrà omne genus veneni ac pestilentiam ex hoc & aqua rosarum tabellæ ab Andernaco parantur *b*: & Gabelchofer, tempore pestis in Officinis benè constitutis tabulas, quæ miram vtilitatem præstant, præparari asserit.

Pesti medetur, Monardis: admirabilis contrà pestem, Lacuna: imò certiùs auxilium & remedium non habetur, quàm huius lapidis puluis exhibitus, potenter enim sudore venenum è corpore expellit, Lonicerus. Fallopius, referente Wittichio, affirmat hoc medicamentum in peste omnia superare, & se in peste Ferrariensi, multos hoc lapide exhibito conseruasse testa-

tur: & Manardus, vt Diomedes Amicus *c* recitat, de eo in peste Germanica periculum fecit, à qua qui illo vsi, curati & præseruati fuere, cæteri minimè. Rulandus *d* sudorificum præscripsit, quia dicit, alexipharmacum esse, malignitatem pestilentem ocyssimè conterens: tale est; lapidis Bezaar scrupulus semis, pulueris rubei Cæsaris, cornu cerui vsti drachmam vnam ex aquis scabiosæ, cardui benedicti, propinat. Sed quæso cur puluis rubeus additur, si Bezoar solus hoc præstare possit? Et Mercurialis *e*, quæ cor muniunt aduersus venenum & intrinsecùs adhibentur, sunt bolus armenus, lapis Bezoarius, puluis cornu vnicornis, cornu ceruini, corallorum rubeorum, dictamni cretici, quorum puluerum dosis est ad summum drachmæ vnius, & sumitur huiusmodi puluis cum vino; quemadmodum Galenus Bolũ armenum etiã in febribus cum vino dabat. Quare in peste huius lapidis efficaciam magis manifestè appare-re, quàm in nulla re alia, exemplis Monardis ostendit, quæ infrà Lector inueniet.

Crato in libello de præcautione à febri pestilentiali, inquit: Bezoar lapis in acutis magni fit, sed quantum ego obseruare potui, non præstat hoc in isto casu, quod ab eo expectatur, quanquam in aliis magnis morbis eo fœliciter me vsum esse, sciam. Quòd si tamen maiori in quantitate daretur, nõ dubitarem etiam in peste eum profuturum, quod in cæteris venenis facit (vide finem capitis præcedentis.) Ibidem adponit pulue-

puluerem præseruantem Vienensium, qui lapidis Bezoar scrupulos quatuor recipit.

Sed distinctio fortè adhiberi potest, à tempore desumpta: Brudus enim Lusitanus, referente Manlio *f* in febris pestilentialis initio magno cum ægrorum commodo exhiberi, expertus est: in augmento verò datum, non tantùm non iuuare, sed nocere etiam. Eandem cum Brudo distinctionem Chainus adhibebat.

Audiamus Herculem Saxoniam *g*, qui huic non multum tribuit. Inter cardiaca medicamenta, quæ in pestiferis administrari solent, est lapis Bezoarticus ab Arabibus celebratissimus, & nostris temporibus à Ioāne Manardo & Garzia ab horto: de quo lapide contra febres pestiferas & omne venenum plura dicuntur: ego tamen, vt ingenuè dicam, dùm Venetiis practicarer, maximam huius copiam consumpsi, nec egregiam operam sensi: scio plurimos, quibus exhibui fuisse sanatos, sed non retuli in lapidem. Causa, quia reperio apud scriptores, quòd eo sumpto sudor copiosus excitetur, post quem statim subleuentur: ego tamen non vidi sudorem prorumpentem: vel si apparebat, erat sudor imperfectus. Itaque quantum ad me, abieci omnem spem huius lapidis in his febribus. Fieri potest, vt ego inciderim in sophisticum adulterium, sed cùm Venetiis medicinam facerem in primatum ædibus, persuadebant esse omnium excellentissimum. Itaque si genuinus reperitur, fortè habet illas dotes, quas tribuunt:

notæ tamen non possunt ita tuto proponi.

Quid Crato *h*; Bezoar in peste parùm conferre animaduerti: & alibi *i*: hoc satis constat, Turcas in Terra lemnia vti, nec terræ lemniæ, sicuti etiam lapidi Bezoar, vllam vim contra pestem tribuunt. At contra Hornio *k*, lapis bezoar pesti, cunctisque venenis obsistit.

Carbunculus pestifer: In carbunculo pestifero, Bezoare intra corpus vtitur confectione ex conser. acetosæ & acetos. citri ana vncia vna, puluer. margaritar. & cornu ceruini, ana scrupulis duobus parata, Bezoaris scrupulum semis admiscet. Verùm & extrinsecus à Garzia commendatur; si carbunculis enim pestilentialibus apertis imponatur, venenum exugendo conducere, asserit *l*, quemadmodum & Wittichius, qui & Fallopium probare refert: sic expresſit Sarracenus *m*, pestilenti è carbunculo si vel crusta excidit, vel emissarium natura aut scalpello vllum est, impositus lapis venenum protinùs totum exugit. Vnum hoc addam, in peste, quæ anno superiori 1610. apud nos hîc Basileæ sæuiit, plures hoc lapide in curatione, sed absque omni successu, vsos esse.

Lues Vngarica: Rulandus, etsi disertis verbis lapidem hunc non magni faciat, & cornu ceruino plùs tribuat, nihilominùs in luis Vngaricæ curatione, omnibus medicamentis, imò & cibis admiscet: argumentum sanè incertitudinis in Medicina facienda; capite enim sexto, pulueri cardiaco cibis admiscendo, lapidem Bezoar

zoar intermiſcet, quo, vt loquitur, efficacior fiat. Sic aquam nucum cum cornu ceruino vſto præparatam, vel cum lapide Bezoar, magnarum eſſe virium, ſi alexipharmacis admiſceatur; & capite 7. hiſtor. 25. pulueri alexipharmaco, ex cornu ceruino, terra ſigillata, Smaragdo, & aliis confecto, Bezoaris Orientalis ſcrupulum ſemis addit. Ibidem analepticum proponit noctu bibendum, ex ſeminibus melonum, papaueris albi, amygdalis, iulepo roſaceo, eſſentia margaritarum, & addit lapidis huius ſcrupulum ſemis, bina vel terna vice bibendum. Sic hiſtoria 29. aquæ alexiteriæ, & analepticæ cordiali tantundem addit: & tandem hiſtoria 30. ſudorifico alexipharmaco ex decocto cardui benedicti, cornu cerui, terræ ſigillatæ, Bezoaris Orientalis grana ſex addit. Verùm ex ſequentibus verbis, quid illi tribuat, colligere eſt, dùm ſcribit, demirandum Bezoarticum lapidem, maximi quidem pretii, minoris tamen efficacitatis, nobiliſsimo cornu ceruino præferri, eiusque laudibus ornari, qui cornu ceruino potiùs tribui deberent.

Aduersùs exanthemata, ſiue puſtulas (contrà variolos & rubeolas *n*, qui morbus Indiæ eſt epidemius, ſæpè verò & pernicioſus, Paræus) & Herpetes, quæ ſubindè Indos necare ſolent, huius lapidis puluериſati, granum vnum aut alterum (duorum granorum pondere, Paræus) ex aqua roſacea per ſingulos dies magno cum ſucceſſu propinant, Garzias *o*: alii *p* cum aqua

acetosæ, cardui benedicti, anagallidis, aut scabiosæ, vel limonum, aut citronum succo vel syrupo. Sic Philippus Höchstetterus Medicus Augustanus, in suis ad me literis anno 1613. datis: vidi, scribit, in morbillis delitescentibus, retrocedentibúsve, vnde magna symptomata oborta, præclarum effectum, ex quinque vel sex granis enim in brodio carnis, puellæ quinque circiter annorum exhibitis, liber spiritus rediit, morbilli protrusi sunt, & syncope desiit. Crato *q* verò in fluore alui in morbillis, lapidi Bezoar non multum tribuit.

a de peste lib. 2. cap. 38. *b* cõment. 2. dial. 5. *c* de peste cap. 46. *d* de lue Vngar. cap. 6. *e* de peste cap. 23. *f* epist. 191. *g* de febrib. cap. 37. *h* epist. 159. *i* epist. 130. k in dialog. de auro philos. *l* & Parænes. ita credi scribit Boëtius. *m* lib. de peste, & Ryff. *n* Fragosus & Ryff valere dicunt. *o* & ex eo VVittichius. *p* Ryff. *q* epist. 145.

IN AFFECTIBVS EXTERNIS BEZAARIS VSVS.

CAPVT XL.

IN Scabie mala, quam ferinam Cæsalpinus, lepra, prurigine, & impetiginibus vtitur Garzias *a*: quare cum aqua buglossæ Lusitani sæpè propinant, Acosta & Cæsalpino auctoribus.

Arabum lepram, seu Græcorum elephantiasin, malam scabiem, prurigines, impetigines, erysipelata & reliqua cutis vitia, tanquam præsens remedium sanat: hæc Boëtius.

Scro-

Scrophulis apertis, effectu miraculoſo inſpergitur: Chriſt. Acoſta *c*.

Collectio dura quindecim annorum, in latere exterius eminens, intrà tres hebdomadas, qualibet die, quantitate vnius grani milii ſumptum, reſoluta fuit, Arnaldo *d* affirmante.

In Vlceribus antiquis Indi vtuntur, Chriſt. Acoſta & Fragoſo referentibus.

In Cancro vlcerato iam apparente, lapidis Bezoartici Orientalis puluerem linimētis, Rodericus à Caſtro *e* admiſcet. Et vt Claudius Chapuys *f* vult, in cancro Bezoard eſt ſingulare, ſi in potu exhibeatur cum aliqua aqua cordiali, & in lecto ſudor prouocetur.

In morſu virulentorum animalium diuinum medicamentum, Agricolæ: quare Ormuz & Coraſonæ incolæ, aduerſus tales morſus vſurpant, Garzias: vt viperarum & ſerpētum, Chriſtoph. Acoſta. Et Cardano *g* in cura morſus & ictus venenati animalis, ſupremū ex omnium conſenſu eſt Theriaca optima, & Bezar, aut ſordes oculi ceruini: quare puluis vulneri impoſitus, à mortiferis animalibus ictos liberat, Garzias *h*. Et Fabricius canis rabidi morſui, cum aliis vlceri inſpergit, qua de re infrà hiſtoria exhibetur. Sic Iordano *i*, vulneribus virulentorū animalium morſu inflictis, puluis aſperſus, venenum extrahit: & vt Ryff. vulnus ſine vllo damno curat.

Vulneribus ſagittarum toxico illitarum, lapidum Bezoarticorum puluerem vtiliſsimè in-

ſpergi ſe intellexiſſe, Monardes *k* ſcribit; & ſubiungit, lapidem hunc Alexipharmacũ eſſe perniciosiſsimi illius toxici, quo ſagittas ſuas illinunt Canibales ad ſeſe mutuo conficiendos, quorum plerique poſt vehementes cruciatus & furores mortui ſunt.

a ex eo Paræus, VVittichius, Ryff, Paludanus, Syluaticus. *b* lib. 2. de lapid. cap. 139. *c* cap. 21. *d* de dosibus theriacal. & ex eo Mercurial. 2. de comp. medic. 13. & Penottus. *e* de mulier. medic. par. 1. lib. 1. cap. 22. *f* lib. de cancro. *g* 3. de venen. 10. *h* Paræus, VVittichius, & Boëtius, contra ictus & morſus commendat. *i* de peſte tract. 3. cap. 9. & VVittichius. k & ex eo à Bra cap. 3. imò mederi Boëtius aſſerit.

CONTRA VENENA.

CAPVT XLI.

ETſi plures lapides à vi ipſis aduersùs venena inſita commendentur, huic tamen ſingularis vis contra omnia venena tribuitur, vt ſuprà capite decimotertio ex Serapione (qui vnus ex Arabibus longiorem de lapide Bezaar ſermonem habuit) Rhaſi, & aliis oſtendimus: & hoc Indos ad venena euincenda vti, Garzias ſcribit, ita vt non ſolùm *a* Amuletum, ſed etiam aduerſus Venena omnia Antidotum ſalutare dicatur, eò quòd repentè vim omnibus venenis adimere credatur. Et quia lapis hic eximiæ ſupra omnia Alexipharmaca, vt Garzias *b* ſcribit, aduerſus venena facultatis eſt, ideò omnia Antidota & medicamenta, quę à tota ſubſtantia venenis aduerſantur ab hoc per excel-

lentiam

lentiam Bezardica, quaſi Alexipharmaca dicuntur: quare inter Antidota primum locum ſibi vendicare, ſi adulterinus non fuerit, Amicus *c* aſſerit. Hinc deleteriis extremum moliri excidium, ex hiſtoria Matthioli de Napello, Iordanus *d* oſtendit. Quare & Paræus refert, Matthiolum teſtari ſe pluribus experimentis compertum habere, hunc longè magis præſtare aduersùs deleteria venena, quàm cætera medicamenta, etiam quàm Theriacalia, & alia quæuis antidota. Et Foreſto *e*, venena omnia ſicut mithridatium & theriaca, ſua venenoſitate expoliat. Idcircò & Ardoynus, omnibus medicamentis tam ſimplicibus, quàm compoſitis, facultate propria venenis reſiſtentibus, aut animalium virulentorum morſus iuuantibus, ex longa experientia præfert: quemadmodum & Matthiolus, qui ea, quæ apud Arabes habentur, recenſet. Et quia omnes, qui eo vſi ſunt, vt Chriſtophor. Acoſta loquitur, vno ore aſſerant, vniuerſale & pręſtantiſsimum eſſe Antidotum. non modò intrò ſumptum, ſed etiam foris adhibitum, maiorisque eſſe vtilitatis, quam ſint alia auxilia. Hæc cauſa eſt, cur in tota India, Perſia, Arabia & China, vtantur: apud quos, vt habet Amatus, in magno pretio eſt, & magnis curis, quas Indi cum lapide præſtitere, conſpectis, etiamnum hodie cum aliis pretioſis mercibus adferuntur: & *f* Indiæ principes, & omnes Luſitani pro ſummo Antidoto habēt: & Rauwolfius auctor eſt, puluerem hunc à Perſis aduersùs

quæuis lethalia venena exhiberi. Crato *g* quoque testatur, se contrà venena fœliciter vsum esse: & Lacunæ *h*, admirabile est remedium aduersus omnis generis venena: cùm, vt Ryffius, omne venenum certò cogat. Hinc Montuus scribit vincere omnia venena infallenter, siue sumptus, siue gestatus, & præstare omnibus Alexipharmacis, testibus Rhasi, Auenzoare, Conciliatore, & Matthiolo: & affirmat se multa experientia in multis illustribus viris id obseruasse. Et Augenio *i*, præ omnibus efficacissimus ducitur in corroborando corde & venenis profligandis, potus vel gestatus. Et omnium apertissimè Diomedes Amicus; hunc Rhasis & Serapio voluerunt resistere sua virtute, siue per os sumatur, siue collo suspendatur, siue ore contineatur, siue aqua, in qua infusus fuerit, propinetur, omnibus venenis, tàm calidis, quàm frigidis, & cunctis vulneribus & morsibus venenatorum.

Verùm cum efficaciora omninò existimanda sint, quæ corpora ingrediuntur, quàm quæ adpenduntur, idcircò Amatus aduersùs omne venenum, Bezoaris grana tria ex aqua stillatitia florum Arantiorum (aquæ herbæ Scorzoneræ Gabelchofer) propinat: vel vt Cæsalpinus *k* ex aqua florum citri, aut Lansæ quæ ex floribus Arantiorum habetur. At Portus *l* ad grana decem cum saccharo rosaceo, dare iubet. Cæsalpinus *m*, in cura venenorum commendat Bolum armenum in vino mero aut diluto, pro febris vehe-

vehementia, vt remedium feratur in venas: & addit, lapis Bezaar eodem modo, fragmenta pretiosa tenuiſsimè ſupra lapidem porphyriten læuigata. Sic Mercurialis *n*, ad præſeruationem à venenis inſigniter valet,& ab omnibus efficaciſsimum remedium aduerſus venena exiſtimatur. Et Boëtio,ad venena quæuis quæ alicui offerri poſſunt, nihil hoc præſtantius haberi poteſt: nam non ſolùm corpus præſeruat à veneno,ſed infectum aut oppreſſum liberat. Ad præſeruationem (addit) ſufficiunt duo grana mane cum vncia vini,aut aqua cordiali, vt meliſſæ vel cardui benedicti propinata. Ad curam verò, ſi quis venenum hauſerit, octo vel decem grana cum vino exhibenda ſunt.

Vomitoriis quoque nonnulli addere iubent: ſic enim Amatus *o*, toxico infecto,cum medicamentis vomitum procurãtibus, datus, cum vomitu venenum expellit, qui verò vomitu reiecerint, per ſudorem aut aluum educit: & Mercurialis *p* iubet vomitoriis ſemper miſcere aliqua, quæ vim habeant venenis reſiſtendi, vt eſt puluis cornu cerui, lapidis Bezaar, ſmaragdi, terræ ſigillatæ, boli armeni: huiuſmodi enim ſi miſceantur, nõ ſolùm famulari vomitui faciendo, verùm etiam & vi emplaſtica, & vi alexiteria,ipſorum venenorum vires minuere.

Adpenſum contrà venena quoq; commendant, haud dubiè hac in re imitantes Serapionem, cuius verba Monardis ita propoſuit: ſi quis ſiniſtræ corporis nudæ parti applicatum

geſtet,

gestet, nec à veneno, nec à perniciosa aliqua re offendi, quia propria facultate, quouis modo corpori applicatus, veneni vim arcet, & eo infectos sanat: plura vide suprà capite de Bezoar Arabum. Matthiolus *q* ex Mauritanorum testimonio refert, lapidem ita adalligatum, vt nudam sinistri lateris carnem contingat, omnia venena superare. Sic & Boëtius, qui brachio sinistro alligare iubet. Et vt Boëtius, cor tueri ne à veneno aëréve pestilente, aut contagioso lędatur. Hinc Sarraceno vis lapidis ea est, vt nō modò haustus, sed & vel lingua circumactus, vel aliter ore volutus, aut quod mirādum magis est, ex ceruice suspensus, vel ita alligatus, vt nudam sinistri lateris carnem contingat, nullis ex præstantissimorum genere quantumuis eximiis aduersùs venena præsidiis cedere videatur. Et Cardanus *r* agens de amuletis, quæ collo appensa venenum hebetent, ait: Pazar etiam gestatum plurimùm prodesse crediderim: qua de re suprà capite de lacryma cerui. Sic Augenius *s*, præ omnibus efficacissimus dicitur in corroborando corde, & venenis profligandis, potus, vel gestatus. At Garzias *t* se experimentum eius, quod nudæ carni alligatus prosit, non vidisse, nec simili modo eos in India vti, scribit.

Sic pharmaciæ Ryffianæ restaurator, hunc lapidem ineffabiles & pręstantes dotes & vires, non solùm in omni veneno expellendo & superando, sed etiam venenosam & putridam materiam in corpore ex cibo potúve, aliáve de causa colle-

collectam deturbando, habere asserit: cuius nomine omnibus lapidibus pretiosis longè præferatur, ita vt etiam Ethnici & Idololatræ Indi apud quos reperitur, nō vereantur dicere, Deum omnipotentem, rerum omnium Creatorem, omnia quidem in bonum hominis creasse, sed peccatum esse, quòd hoc lapide, alii quàm diuites & primarii, vtātur: pauperes enim aliis contentos esse posse: quare apud ipsos vsum huius, ne eius multum absumatur, prohibitum. Hinc historicis illis, Linscotto, & Artho, lapis hic pretiosissimus est, & contrà tum venena omnia, tū multos alios grauiores, medicina præstantissimos, ita vt valor eius longè suprà vnicornu sit, cùm etiam illud viribus superet.

Verùm vt concludam, etsi concederem lapidem Bezoar, contrà venenum valere, non tamen vniuersale remedium contrà omnia venena, concesserim, imò potiùs singulis venenis, singula antidota esse cū Vallesio *u* crediderim: Antipathia, inquit, naturalis, in inanimis quoque rebus euenit: cùm enim sint quædam antidota & simplicia & composita, quæ censentur pluribus venenis aduersari, vt lapis Bezahar & Theriaca, tamen sunt singulis venenis singula antidota propria, quia est, quod cuique peculiariter ac propriè aduersatur: velut Aconito, ruta: opio, generosum vinum: lepori marino, lac. Itaque sunt quædam simpliciter antidota, quædam quorundam: atque deleteriorum generi aduersatur genus alexipharmacorum, verùm

vni-

vni cuicunque veneno ſuum antidotum.

Contrà Napellum commendauit Rhaſis *x*, ex quo & Matthiolus *y* habet. Aiebat Brudus Luſitanus, Manlio *z* referente, lapidis Bezoardici facultatem alexipharmacam etiam contrà ipſum Napellum, ab aliis ſatis decantari. Sic & Auicennæ *aa*, Bezahar principale remedium contrà Napellum, & medicamentum de moſcho,& algeduar,id eſt,Zedoaria. Sed hac de re vide hiſtorias duas,capite ſequenti.

Contrà Arſenicum quoque valere, Monardis auctor eſt: vtilis,inquit,qui ſublimatum,aut corrodens aliquot venenum hauſerint, malignitatem & ſymptomata tollendo, in corroſionibus tamen remedia conuenientia etiam adiiciendа, alioqui nullius efficaciæ in illis lapis eſſet,quare lac primò propinandum, deinde lapidis puluis dabitur. Vide etiam infrà Hiſtoriam de Arſenico aſſumpto.

a Bodinus in ſuo theat.lib.2. *b* Cæſalp.de metall.Lonicer. *c* tract.de peſte cap.46. *d* de peſte tract.3.cap.9. *e* lib.30. obſ.3 & in Schol. obſ.11. *f* Amatus & ex eo à Bra. *g* de præſeruat. à febr. peſtil. *h* in Dioſcoridem. *i* lib.3.de peſte cap.8. *k* de metall. *l* 3. de peſte cap.12. *m* lib.3. ſui ſpeculi cap. 53. *n* de venenis, & ex eo à Bra. *o* lib.2. de lapid. cap. 193. *p* 1. de venen. 22. *q* 5 in Dioſc. 73. ex hoc VVittichius & Ryff. *r* 3. de venenis 2. *s* de peſte lib.3. cap. 8. *t* ex quo VVittichius & Ryff. *u* de Sacra philoſophia cap.75. *x* ad Manſor. 11. & 1. diuiſio. 141. *y* lib.5. in Dioſc. cap.73. *z* epiſt. 191. ad Cratonem, & ex eo à Bra. *aa* lib.4. fen.6. tract.1. ſum.2. cap.1. & Cæſalp. 3. ſpeculi ſui 20.

HISTORIAE PLVRES, EORVM, QVI HOC LAPIDE feliciter vsi sunt.

CAPVT XLII.

NVnc lubet ea, quæ proposita fuêre, historiis & exemplis comprobare, initio facto à morbi chronici cura, quare ex Claudii Richardi epistola historiam hanc ipsius verbis adponimus.

Nos sacratissimæ Cæsareæ Maiestatis iussu, quatuor experimenta sui hucusque vidimus, in duobus nempe reis lege supplicii dãnatis, quibus venenum studio oblatum est: & in duobus præterea aulæ Maiestatis suæ nobilibus vehementiore morbo afflictis. E` quibus primus Dominus Scander sese nobis offert, qui cùm longo & graui ægritudine cum ingẽti omnium membrorum, & pulsus imbecillitate Oeniponte decũberet, nauseabundus, ac in ventriculo & præcordiis vehementer dolens, annum agens septuagesimum quintum, lapidis Bezoartici grana quinque in cochleari vini fuere oblata. Nulla illo die subsecuta est alteratio, nullaque immutatio. Noctu tamen meliùs quieuit: sequenti die attollebat brachia, & crura ad sese attrahebat, quod antea haudquaquam facere potuerat. Tribus postea elapsis diebus vomitum quidem biliosum habuit, qui præcordiorum & stomachi dolores finiuit, ac licet lõgo adhuc tempore decubue-

cubuerit, credo nihilominus suæ salutis fundamenta Bezoar extitisse. Hanc historiam Diomedes Cornarus quoque *a* recensuit.

In mœstitia & melancholia valdè etiam vtilis est hic lapis, inquit Monardes *b*. Imperator enim Carolus V. fœlicis memoriæ, in hunc effectum sæpè sumebat, atque etiam sumpserunt plurimi, qui sine manifesta causa tristes sunt & anxii, quia tristitiam adimit, & alacres reddit, qui eo vtuntur. Multos admodum anxios, & animi deliquio afflictos, melancholicosque vidi, qui sumptis huius lapidis tribus granis ex aqua buglossi, sine difficultate liberati sunt: hæc Monardis.

Aduersùs animi deliquia, exempla duo ex Monardi: Exemplum primum: decimusquartus iam agitur annus, quòd Illustrissima Dux de Beiar à Domino Ioanne Mantique admonita fuerit, in aula frequentem vsum esse Lapidis Bezar, aduersus animi deliquia: erat autem Illustrissimæ huic fœminæ filius isti morbo ab ineunte quasi ætate valdè obnoxius, cumq; illius salutis cupida admodū esset, singulare aliquod remedium requirebat, cùm ordinaria medicamenta, quæ à doctissimis Medicis præscripta fuerant, nihil profuisse, animaduerteret. Intelligens ergo, quantæ efficaciæ esset lapis Bezaar, negocium mecum communicat: valdè insolens id mihi visum est, qui illius nullam etiam notitiam habebam, præter eam quam in libris scriptam repereram, sed neque existimabam in his regio-

regionibus reperiri: eam ob causam illam submissè oraui, vt in illo acquirendo omnem diligentiam adhiberet, mihi enim cara erat illius adolescentis salus, ob insignes eius virtutes, & multam in omni scientiarum genere, atque in omnibus aliis rebus illustri viro necessariis doctrinam: tum etiam vt lapidem maximè à me desideratum, conspicerem. Allati tandem sunt Vlyssibona, Genuensis cuiusdam opera, bini lapides probi auro inclusi, ossis dactyli magnitudine, paulò tamen crassiores, colore præditi ex viridi nigricante, instar malorum, quæ Insana appellantur. Itaque communi consensu statutum est, vt corripiente illum inopinanter animi deliquio, lapis illi præberetur. Vespere quodam in syncopen incidit: illicò secundum ordinem in aula consuetum, tria pollinis vnius lapidis grana, in stillatitii liquoris buglossæ sufficienti quantitate dissoluti, in os eius apertum iniecta sunt, quæ cum difficultate deglutiit. Deinde, quanto tempore ad Symbolum apostolicum bis recitandum necessarium opus fuisset, tum facilè animi deliquium ipsum reliquit, ac si illo correptus non fuisset. Perspecta tam insigni lapidis facultate, magna in æstimatione illum habuimus, presertim cùm obseruaremus, quotiescunque daretur lapidis puluis, illum tanta facilitate ab animi deliquio liberari: nam manifestè apparebat, puluere non exhibito, animi deliquium longo tempore durare, & cum difficultate ab eo plene liberari: dato autem puluere,

ſubitò & facilè ad ſe redire, perinde ac ſi nullum paſſus eſſet animi deliquium. Illuſtriſsima itaque Dux, ſemper in marſupio eam pulueris quantitatem geſtabat, quæ pro vna doſi neceſſaria erat, vt corripiente illum animi deliquio, faciliùs propinari poſſet, & ipſe breuiore tempore liberaretur. Illud etiam acceſsit commodi, quòd poſtquã puluere vti cœpit, adeò frequenter Syncope moleſta non fuerit. Hac re conſiderata, Illuſtriſsimæ Duci dixi, ex Medicorum præceptis, ea medicamenta, quæ morbum aliquem curant, poſſe etiam præſeruare, ne in illum incidamus, eamq; ob cauſam, commodum mihi videri, ſi ſingulis diebus manè puluerem ſumeret: fieri enim poſſe, vt continuo illius vſu, vapor cerebrum ſubiens, qui ex venenoſa & maligna aliqua qualitate generatus erat, abſumeretur, & lapidem, nudam illam qualitatem extincturum, vaporemq; ex vniuerſo corpore, ceu ex peculiari aliqua corporis parte aſcendentem, abſumpturum, &, ſublata mali radice, atque origine, ipſum liberum futurum. Id igitur factum, dataque ſunt illi ſingulis diebus manè ieiuno ventriculo, tria pulueris grana, ex Bugloſſæ ſtillatitio liquore. Deo porrò fauente, adeò efficax fuit id medicamentum, vt ab illo die, quo vti cœpit vſque ad eius interitum animi deliquium illum nunquam corripuerit: pluribus autem quàm decem poſt annis alio morbo extinctus eſt: per ſex verò continuos menſes, nullo die intermiſſo, puluere vſus eſt.

Exem-

Exemplum alterum: Deprehensa tanta adeóque manifesta lapidis efficacia: cùm nobilis adolescens fœmina, cui nomen Maria Catáno, multo tempore animi deliquiis afflicta fuisset, &, licet magni Medici medicamenta illi præscripsissent, tales Syncopes interdum pateretur, vt decem aut duodecim horis durarent, easque singulis penè diebus, iamque adeò imbecillis esset, vt multo tempore lectulo non surrexisset, euocatus sum ad illam: animaduertens autem medicamenta ab aliis præscripta, nihil opis attulisse, relictis vulgaribus remediis, quibus alii Medici multis annis vsi fuerant, Vlyssiboná lapidẽ Bezaar adferri iussi, atq; ipsi, priùs purgatæ, lapidẽ, ordinẽ, quo decet, exhibui: ex illo tempore, quo vti cœpit, in hunc vsq; diem (iam plures sunt, quàm duodecim anni) nunquam animi deliquium passa est: lapidem autem integrum dactyli magnitudine absumpsit: hactenus Monardis.

Aduersùs obstructiones; in consiliis medicinalibus Solinandri *c*, hęc ad Solinandrum, Hermannus Conerdingus Medicus. Saltem hoc de valetudine nobilissimæ matronæ à Schulenberg addere volebam, ipsam in initio morbi sui, educta tamen prius maxima ex parte vitiosa materia, & corpore priùs expurgato, plurimis alexipharmacis non sine fructu vsam esse, vt lapide Bezoardico, Theriaca & cęt. aliquoties exhibitis decoctis, quæ viscerum in farctibus soluendis, & humoribus contemperandis dicata erant.

Sic Monardis in vertigine & obstructione commendat, his verbis. Neque solummodò efficax est hic lapis in rebus noxiis ac venenis: verùm etiam in aliis morbis, vt experientia demonstrat: nam & in vertigine, & in obstructionibus valdè prodest: quod hac ratione deprehensum est. Monacha quædam animi deliquiū & obstructiones patiebatur: sumpto lapide ad curandam syncopen, simul ab obstructionibus libera euasit: mensesque qui diu obstructi fuerunt, copiosè fluxerunt.

Partum promouere, Ludouicus Gyon Dolanus *d* testatur his verbis: Huius lapidis grana quinque, in aqua Arthemisię exhibere vidi, cuidam matronæ nobili, postquam diebus septem integris, doloribus partus fuisset cōflictata, quæ subitò fœtum mortuum eumque putridum enixa est.

Dysenteriam curare, tali exemplo Guil. Fabricius *e* ostendit. Princeps quædam magni nominis post vsum fungorum dysenteria, aliisque symptomatibus tam grauiter laborans, vt quasi in agone versaretur; cùm ad grana quadraginta lapidis Bezoar sumpsisset, post semihoram sudor calidus & quidem vniuersalis superuenit, mox quoque secutus est somnus, & intra paucos dies pristinæ sanitati restituta fuit.

Febri continua maligna, lapide hoc curata mulier grauida, vt historia à Diomede Cornaro *f* comprobat. Honesta scribit, matrona, octauo ab imprægnatione mense, corripitur febre conti-

continua maligna in diebus canicularibus ex incandeſcentia. Hæc quarto die à febris principio, ex morbi vehementia pariebat puellam, quæ vixit per vnam atque horam alteram: poſt partũ lethaliter decumbebat in æſtu vehementiſsimo, ſiti immenſa ac manuum tremore: quare ſumptis granis quinque lapidis Bezoartici in aqua Boraginis diſſolutis, cœpit ſudare mirum in modum, finito ſudore, calor præter naturalis cum reliquis moleſtis ſymptomatibus, paulatim remiſit, & quotidie meliùs inde habuit, ac ſanata eſt.

Exemplum aliud in febri maligna, Claudio Richardo referente. Laborabat D.D.Staphylus ſedecim continuis diebus acuta febre maligna & ſopita, ab affectu renum ſuum ſumente initium, abhorrebatque ab omni ciborum genere, nauſeabundus, de capite ſæpiùs quæritans, nihil niſi de morte loquebatur, delinquebatq; frequenter animo. Habebat ſedes colliquatiuas, cum ani exitu doloroſo. Vrina erat turbida, cruda, & ferè ſubiugalis. Articuli & præſertim genua dolebant, laſsitudo ingens, facies Hippocratica, oculi in dormiendo aperti, & ob vehementem virium corporis imbecillitatem, ad pedes delapſus. His ita ſeſe habentibus, cùm de vita illius ab omnibus minùs ſperaretur, motu proprio clementia Cæſaris, ſeptem grana huius pretioſiſsimi medicamenti, ſibi in vini cochleari fuere oblata. Non tamen erat ſtomacho tunc omninò ieiuno Staphylus: ſiquidem medium

oui vitellum per ſemihoram ante ſumpſerat, biberatque aliquid. Porrò hora à Bezoartica aſſumptione elapſa, bonum hauſtum ſeri caprilli calidi cum ſaccharo ebibit, & intra ſemihoram adhuc etiam. Subſecutæ iſtos ſex vel amplius ſedes cholericæ & fœtidę ſunt, cum quadam tamen faciliori tollerantia ſolito: poſſumque verè affirmare, illum intra hoſce quindecim ægritudinis dies, in totum, quantum medietas cruciati panis, minimè commediſſe. Cùm nocte illius diei cœnæ ſuæ vnà cum D.D. Stephano intereſſem, paropſidem hordei in iuſculo cocti plenam tanto appetitu commedit, vt nos illud intuentes, lethalem quandá auiditatem potiùs, quàm famem eſſe, crederemus. Et dum inter edendum nos ambo ipſum ad ſtrenuè edendum, ſi ſeruari cuperet, cohortaremur ac laudaremus: reſpondit, ſe ideò commedere, quòd cibus ſibi placeret, alioquin inaniter noſtra iactaturos verba. Fuit nocte illa, Reuerendus pater Canyſius in iiſdem ædibus, veritus ne Staphyli obitus ſequentem lucem præueniret. Quieuit nihilominùs ita placidè noſter infirmus, vt potuerit ſeruitio corporis, & conſolatione ſimul animæ carere. Manè cùm rectà aſcendere dubitarem, fit mihi pater Canyſius obuiam, ſpem meliorem ſalutis de infirmo afferens: & ex illa hora, res in meliùs ſtatim & continuata ſerie ſunt progreſſæ.

Exemplum etiam Monardis habet. In malignis, inquit, & Epidemicis febribus, admirabiles

les ſunt eius vires, quia malignitatem tollit, & veneni qualitatem extinguit, quod inprimis Medico procurandum eſt: nam niſi primùm ea tollatur, fruſtranea eſt eius cura. Nobili cuidam omnes famuli maligna febre (quam Hiſpani modorra appellant) correpti fuêre: lapidem Bezaar in aquæ pleno canthàro macerauit, de hac aqua omnes ægros bibere iuſsit, qui deinde à morte liberati ſunt. Eam ob cauſam multi in aqua, quam bibere debẽt, aſsiduè hunc lapidem tenent, dum ægri ſunt, quia ad tollendam febris malignitatem vtilis eſt, & cor roborat.

Sed inſignis etiam efficaciæ eſt hic lapis in febre Cauardete Hiſpanis dicta, infectis, hoc eſt, in qua ſtigmata rubra, pulicum morſus inſtar per cutim ſparſa apparent, præſertim in humeris & muſculoſis corporis partibus, id autem fit, natura propellente ad externas partes humorem. Itaque initio curandum, vt euacuetur, non autem intrò reprimatur: quod fiet frictionibus, cucurbitarumque applicatione & aliis remediis, quæ humorem per eas partes extrahant, per quas natura propellere ſatagit: epithemata autem non vſurpanda, neque vnctiones, aut aliæ res ſimiles, quæ ſtigmatum eruptionem præpedire queant. Deinde illicò poſtquam ſtigmata apparere incipiunt, ægro danda ſunt ea, quæ venenum tollendi & extinguendi vim habẽt, miſſionem ſanguinis fugiendo, apparentibus iam ſtigmatibus, niſi ſanguinis copia & plenitudo aliud ſuadeat. Aduersùs hunc morbum & ma-

lignas febres, valdè vtile, & in multis experientiâ comprobatum medicamẽtum comperi, Bolum armenum nostratem, in tabellas cum stillatitio rosarum liquore formatum, in omnibus medicamentis exhibitum, quæ æger sumere debebit, atque in cibis quibus vtetur, potissimum anno quodam, quo febres acutæ grassatæ sunt, quia illius vsu multi liberati sunt: noster enim hic Bolus parum ab Orientali differt. Sed eius vsus esto in lapidis Bezaar defectu: nam hic omnibus præferendus est. Id expertus sum in nobili quodam viro huius vrbis, maligna febre correpto, cum frequente vomitu, animi deliquio, aliisque malignæ febris symptomatibus, in cuius humeris exanthemata illa, & stigmata apparebant: sed propinato illi lapide Bezaar cũ pauxillo Vnicornu, subitò cessarunt symptomata, & meliusculè habere cœpit, quia febris malignitas extincta fuit, quæ tanti mali causa erat. Multos præterea enumerare possem, qui in Hispania quatuordecim ab hinc annis, quibus illo vti cœpi, illo sumpto à sæuis morbis liberati sunt: vt reuera miraculum videatur, lapidem ex animalis, Ceruo aut Capræ simili, ventre extractum, parua quantitate sumptum, ea præstare, quæ retulimus: hæc Monardis.

Addere lubet aliam historiam ex Ludouico Gyon *d*: Dominus Vicecomes de Conborn & Nouicastri Dominus, Regis apud Lemouaces locum tenens, retulit se Lutetiæ febri pestilenti correptum, (qua plurimi, & quidem cuiusuis condi-

conditionis, ætatis, & ſexus moriebantur) & tum cùm ab omnibus Medicis derelictus eſſet, conſilio Soceris ſui Mareſcalli Bironii, lapide Bezaar per dies aliquot vſum eſſe: cuius vſu paruo temporis interuallo conualuerit, & quidem rectius magiſq; alacris, quàm quiſuis alius, qui morbo hoc correptus fuit, magna cum omniũ admiratione.

Peſtem curare & ab ea præſeruare, hiſtoria Ludouici Gyon *d* comprobat, quæ ſic habet. In arce Lucenſi, quæ apud Lemouicenſes eſt, peſtis adeò ſæuiit, vt horarum vigintiquatuor ſpacio tres ea in arce mortui ſint: at poſtmodum domeſticis reliquis, qui octodecim numero ſupererant, quotidiè manè lapidis huius grana duo, in aqua Enulæ Campanæ, & quidem per dies ſeptem, exhibita fuêre: à quo tempore nullus obiit, nec quidem peſte correptus: imò plures qui anthraces & bubones habebant, eodem modo Bezoare vtentes, conſeruati fuêre: verùm medicamentis, quæ bubonibus & anthracibus adhibentur, lapidis huius parùm admiſceatur, neceſſum eſt: hęc Guyon. Quare Monardis, plerique peſtis tempore huius lapidis fragmentum in ore geſtare ſolent, tum quando à veneno, aut venenoſa aliqua materia ſibi metuunt. Valdè etiam vtilis eſt aqua, in qua maceratus eſt hic lapis, iis qui peſtilente aut maligna febre correpti ſunt. Nam (inquit) in nulla re magis manifeſta apparet eius efficacia, quàm in peſte: Cùm enim in Germania peſtis valdè graſſaretur,

quotquot lapidem Bezaar ſumpſerunt, plurimùm illis profuiſſe, liquidò apparuit. Eius autem factum eſt periculum in Xenodochio quodam, in quo erant peſte correpti: duobus propinatus eſt lapis, aliis minimè: qui ſumpſerunt liberati ſunt, reliqui duo extincti fuerunt. Tum multis iſta lue correptis exhibitus eſt, quorum nonnulli binos carbunculos, alii tres haberent, qui omnes liberati ſunt. Huius exempli teſtes fuerunt multi magni nominis & nobiles viri, tum etiam plebei: hæc Monardis.

Veneno infectis mederi, exemplis nunc docebimus. Braſſauolas *g* hiſtoriam narrat, quæ Ferrariæ accidit multis veneno infectis: reiecto enim veneno liberatos fuiſſe ait, Vitrioli oleo, & lapide Bezaar ſumpto: hæc ex Monardi adpoſuimus, cùm Braſſauolæ liber ad manus non fuerit. Sequuntur hiſtoriæ tres ex Monarde deſcriptæ.

Eo tẽpore Licentiatus Ludouicus de Cueua, vir in ſua arte doctus, venenoſum quidpiã imprudens ſumpſerat, atq; illico adeò grauia ſymptomata ſunt ſubſequuta, vt breui moriturus videretur: & licet medicamenta vomitum cientia, Theriaca, aliaque remedia venenis reſiſtentia, illi adminiſtrata eſſent, ad eum accerſitus, adeò ægrum deprehendi, vt eius ſalutis exigua ſpes eſſet. Animaduertens autem venenum eius morbi occaſionem eſſe, & quàm inutilia fuiſſent medicamenta illi exhibita, ipſe requiſitum iui lapidem Bezaar, quem nullibi reperi,

præ-

præterquam apud ſuprà memoratam Dominam Mariam Catanno, cui duntaxat interior puluis reſtabat, ſex fortè grana pendens: puluerem ab ipſa acceptum in duabus chartulis repoſui, magna lætitia affectus, me remedium ei qui tantoperè illo indigebat, reperiſſe: ad eum regreſſus, magis afflictum reperi, quàm quiſpiam exiſtimare poſſet. Ilico tria pulueris grana, quæ attuleram chartulæ inuoluta, cum aqua ſtillatitia bugloſsi propinaui, atq; intrà temporis ſpacium, quo Symbolum Apoſtolorum ter recitari poſſet, à puluere ſumpto, manifeſtè ſymptomata, anguſtiæ, & animi deliquia mitigari & ceſſare cœperunt, ſic vt ſub noctem iam meliuſculè haberet, & liber à mortis periculo (cui adeò vicinus fuerat) eſſet, & poſtridie ſanus appareret: plurimùm tamen per multos dies afflictus, ob prædicta ſymptomata.

Eodem Licentiato Ludouico de Cueua, ad venationem cum nobili viro profecto, vnus è famulis aquam bibit è lacuna ſtagnante valdè corrupta, & venenoſis animalibus plena, atque ſtatim adeò afflictum ſe ſenſit, vt loco ſe mouere nequiret, intumeſcente aluo & reliquo corpore, magnis anguſtiis preſſus, & animi deliquiis, vomens & ſudans, vt tranſuerſim equo impoſitus, in proximum pagum vehendus eſſet: adhibitis quibuſdam remediis, datus & lapis Bezaar, quem nobilis ille vir geſtabat in ſimiles euentus, fuit autem puluis ille adeò vtilis, vt poſtridie cum ſuo hero proficiſci poſſet.

Puella

Puella quædam venenoſum quidpiam edit, ex quo ſubſecuta ſunt grauia admodùm ſymptomata, qualia inducere ſolent venena: cùm autem medica remedia nihil prodeſſent, auctor fui, vt lapis Bezaar daretur: & ſtatim conualuit: hactenùs Monardis.

Hinc Boëtius *h* aſſerit, eos qui ab aquæ potu in qua virulenta animalia verſantur, ilicò intumuere, ſumpto bis aut ter iſto lapide, quemadmodum & illos qui venenum hauſere, ſanari. Aduerſus quoq; Napelli & Arſenici virus, quod truculenter in corpus humanum ſæuit, vix aliquid præſtantius reperiri poſſe, idem ſcribit.

Contrà Napellum valet; in quam rem Hiſtorias duas ſubnectam, alteram ex Matthiolo *i*, alteram ex Claudio Richardo. Cæterùm aliter longè ſe habuerunt ſymptomata in altero pariter ad furcam damnato, cui data fuit eiuſdem Napelli drachma, vt de lapide, quem Bezoar appellant Arabes, periculum fieret, an huiuſce veneni immanitatem expugnare poſſet. Agebat latro annum circiter vigeſimum ſeptimum, qui epoto lethali pharmaco, piperis omnino ſaporem illi ineſſe dicebat: Hora ſubindè peracta, cùm vomere cœpiſſet, lapidis illius grana ſeptẽ ex albo meraco data ſunt. Verùm ab ebibito antidoto, variis & acerbiſsimis ſymptomatibus exagitatus eſt. Euomuit enim frequenter bilioſa, porraceo colore. Quendam quoque veluti globum circa vmbilicum ſe ſentire dicebat, qui inde ſuperna petens, in ſupremã & poſtremam capi-

capitis partem frigidam auram quandam diffundebat. Accesſit paulò pòſt ſtupor quidam paralyſi non abſimilis, qui ſiniſtri lateris brachium,& crus occupauit, adeò vt vix ſummam manum mouere potuerit, motu iam in cæteris partibus extincto. Interim non multo pòſt tempore, hæc morbi vis, ſiniſtra corporis parte incolumi relicta, in dextram repentè ſe contulit, eandemque ſimili modo occupauit. Vagum profectò ſymptoma hoc fuit, nam cùm dextrũ brachium is attollere potuit, ſiniſtrum non potuit, & econtrà: tandem vtrumque eleuauit. Aiebat quoque vniuerſas corporis venas frigeſcere. Non defuerunt Vertigines, quas ſecutæ ſunt cerebri commotiones adeò feruentes, vt aquę in caldario bullienti ſimiles eſſe diceret. Accesſit quoque oris & oculorum conuulſio, atq; acutisſimus mandibularum dolor. Quare ſæpè manibus affectas illas partes perſtringebat, veritus ne exciderent. Forinſecùs turgentes oculi, liuida facies & nigra labia cernebantur: quin etiam ventris tumor videri poterat, perinde ac hominis aqua intercute laborantis: varia admodùm extitit arteriarum pulſatio, & varia quoque mentis perturbatio, pro ſymptomatum recurrentium acerbitate. Nam iam prorſus de vita deſperare, mox in ſpem ſe erigere videbatur, modò rationis cõpos, modò delirans, nunc ploranti, nunc cantanti ſimilis. Aquam frigidam ſibi dari potandam, tantoperè appetebat, vt ea ſubitò ſe liberatum iri confideret. Toto

hoc

hoc tempore ſe ter excæcatum, terque in mortis agone colluctatum affirmabat, lingua tamen perpetuò conſtitit, nullo vnquam ſymptomate affecta, ſiquidem nunquam intumuit, nunquam is balbutire auditus eſt. Cæterùm ſeptima pòſt ebibitum Napellum hora, veneni tandem vi ab antidoto extincta, omnia euanuere ſymptomata: arteriæ ad rectam rediere normam, naturalis reuixit color, & breui quoque virium conſtitit robur. Atque in hunc modum miſer ille, magno conflictu atque certamine periculum ſuperauit.

Hiſtoria altera ex Richardo. Primus ex reis, cui Bezoar poſt venenum oblatus eſt, fuit ante biennium Pragæ, qui cùm per aliquot dies in carcere detentus, ſolo pane atque aqua fuiſſet vſus, atque præcedente nocte prorsùs incœnatus, drachma pulueris Napelli fuit oblata. Erat corpus præcedente diæta valdè præparatum, venæ inanitæ, & meatus omnes aperti, ex quo facillimè veneni vis ad extrema quoque membra diſtribui potuit. Superuenere accidentia, nempè anguſtia pectoris, dolor ſtomachi, oculorum obtenebratio vertiginoſa, pulſus immutatus. Cùm verò infirmus aſſereret, ni ſtatim ſubueniretur, ſeſe penitùs deficere; oblata illi quinque grana remedii in pauco vino ſunt: continuò alleuiatus eſt. Paulò poſt, non ſine tamen anguſtia, euomuit, & benè ſperabat. Nihilominus ſentiebat, materiam circà ſtomachum aggregari: pars poſterior capitis & collum dolebant: inde cœ-

de cœpit delirare, & canebat altè in folio quodam lacero. Præteriit delirium, recurrerúntque alia ſymptomata, dolores ſcilicet ſtomachi, capitis, maxillarum, pectoris, modò vnius, modò alterius iuncturæ. Verùm ſeptem horarum ſpacio omnes doluere, venter intumuit, quaſi hydropicus eſſet. Erant præcordia cum dolore, & duritie tenſa, ſenſit punctionem in renibus, vrina ſuppreſſa, item eſt vno brachio & præterea crure reſolutus. Pulſus ſæpè fuit interceptus & febriculoſus. Vomuit illo die aliquoties, habuítque ſedes, ſed perpetuò de duritie quadam frigida, ac ſi lapis quidam in ſtomacho foret, nobis eſt conqueſtus. Vltimò verò, de quo aſtantes omnes mirati ſunt maximè, Ophthalmia quædam lippitudinoſa illi ſuperuenit, adeò dolorifica & horrida, vt patiẽs ipſe mori potiùs, quàm paulò magis cum tali dolore perſeuerare cuperet. A` veneni aſſumptione per horas quinque ne guttam quidem ſumpſit, vt eò certiùs procederet experimentum. Conquieuere ſpacio octo horarum hæc omnia: noctu cum voluptate cœnitauit, quieteq; dormiuit. Manè erat ſaniſſimus, neque membrorum læſio vlla eſt ſubſecuta, prout ego quinque vel ſex menſium ſpacio ſum percunctatus. Factus eſt liber, & etiam à S. Cæſ. Maieſtate liberaliter donatus.

Contrà Arſenicum, hiſtoria etiam apud Richardum habetur talis. Altera etiam experientia fuit decima proximi menſis Decembris hîc Viennæ celebrata, in quodam adoleſcente non-

dum

dum vigesimum attingente annum. Habitus corporis erat rarus, & quoquo pacto cachecticus, & à carcere tabefactus. Præcesserat etiam in ipso tenuis diæta, neque nocte præterita dormierat. Exhibita est illi Arsenici puluerisati drachma semis cum saccharo. Hinc ad horam, grana decem Bezoartici lapidis in aqua boraginis sunt ipsi potui data. Sciscitatus postea qualis status ante remedii assumptionem in eo fuisset, dicebat se prius magnam stomachi cum erosione sensisse incendium, fauces ardore quodam detentas: oculos cum vertigine fuisse obtenebratos, non intellexisse loquentes, neque nouisse homines. Epoto verò medicamento, stomachum fuisse ilicò refrigeratum, oculos apertos, inquietudines & angustias multas, quas priùs vniuerso corpore senserat, sublatas. Percontatus an genua dolerent, id asseruit, & cum punctione, quod venenorum ferè omnium proprium esse credo. Paulò post secutus est dolor stomachi, ardor gutturis, & sputum salsum, cui vomitus phlegmatis veneno permixti successit: alleuiatus est parùm, neque diu moratus, conquestus est de ventris dolore, quare ferreis vinculis è pedibus remotis vnam habuit ferè naturalem sedem, ex qua ventris dolor quieuit. Recurrit verò intra semihoram stomachi dolor nauseatiuus, expuit amarum, extremitates sunt refrigeratæ. Dicebat se quasi cõuolutum filum, aut linum in ore stomachi, & œsophago sentire, quæ phlegmatis crassi & vitrei per vomitum excre-

excretio eſt ſubſecuta. Inde à vexantibus ſymptomatibus alleuiatus, iterũ inquietior factus, doluit venter, caput & genua, hypochõdria tenſa ſunt, & vnà cũ ſtomacho intumuerunt, & aliã tunc habuit ventris excretionem. Iterùm ſenſit dolorem ventris cum corporis inquietudine, aluus tertio materiam nigram liquidam, & in tranſeundo comburentem excreuit, adhuc vomitus facilis & exiguus fuit. Duodecima audita (cùm circa ſeptimam venenum accepiſſet) curaui ſibi iuſculum carnis afferri, de quo ad tria ſumpſit cochlearia, ægerrimeque tunc temporis odorem carnis decoctæ ferebat. Elapſa hora, dùm ſitiret, obtuli panem in vino lymphato infuſum, non potuit commedere, parùm tamen bibit. Verùm iam ſpem certiorem de ſalute concipiebat, de qua prorsùs antea deſperauerat, omnia pedetentim in tranquilliorẽ ſtatum ſunt reducta. Cœnauit nocte commodè & bene dormiuit: manè, cùm hominem, quo pacto ſe haberet, interrogaſſem, reſpondit, gantz wohl/ quaſi diceret, omninò bene, licet hypochondria tenſa adhuc & renitentia tactui apparerẽt, quod ſymptoma abſq; alia medicamentorum ope omninò quieuit.

Hinc Monardis: valdè vtilis eſt iis, qui ſublimatum, aut corrodens aliquod venenum hauſerunt, quia veneni malignitatem, ſymptomataq; tollit: in corroſionibus tamen conuenientia remedia adiicienda, quia alioqui in illis nullius efficaciæ eſſet lapis. Lac in iſto caſu pluri-

mùm cõmendatur, cum magna quantitate, & frequenter ingeſtum:nam præterqu áquod admirabile eſt remedium,in corrodentibus venenis eo vtendum eſt, quoniam venenum per vomitum expellit, eiusque malignitatem extinguit: vera enim eſt antidotus aduersùs corrodentia venena: deinde illo epoto,lapidis puluis dabitur, aut aliquod ex prædictis medicamentis veneno reſiſtentibus.

Aduersùs morſum canis rabidi etiam vſurpatum, vt ſequens hiſtoria ex Guilhelmo Fabricio *k* edocet.

Anno 1602. 30. Iulii, Dauid Willometus Paterniacenſis adoleſcens, propè cubitum dextrum à cane rabido vulnus accepit, qui prima Auguſti ad me venit, primò morſum ſcalpello ſcarificaui, cucurbitulam cum largiore flamma appoſui: dein totum brachium poſca, in qua diſſoluta erat theriaca, parumque ſalis marini, ablui: poſtea cauterio actuali morſum vndique ac profundè inuſsi: vulneri impoſui goſſypium madefactum aquâ vitę, in qua diſſoluta erat theriaca: poſtea emplaſtrum impoſui ex ſeq. &c. Vlcus ad menſes tres apertum retinui, ſingulis hebdomadibus per interualla bis térve vlceri ſequentem inſperſi puluerem. ℞. pulueris pręcipitati, lapid. Bezoardici, pulu. rad. angelicæ ana ſcrupulum vnum: miſce. Mirificè enim malignitatem ex profundo ad ſe attrahit, & veneno aduerſatur puluis ille. Per os alexipharmaca, veluti theriacam, mithridatium, cornu cerui vſti,

vsti,& præparati,& lapidem Bezoardicum propinaui. Sic diuino numine curatus fuit. Eodem tempore huius fratrem, ab eodem cane septem in locis morsum, eadem methodo curaui, qui anno post pleuresi correptus, obiit.

Ludouicus Gyon, loc. cit. historiam refert cuiusdam à serpente morsi. Iuuenis quidam nobilis, cum quo lauandi causa stagnum eram ingressus, à serpẽte in tibia morsus fuit, quæ nigra reddita intumuit: huic Bezoartici lapidis grana quatuor cum pauca aqua rosarum propinata fuere: vulneri verò granum vnum impositum, hic intra dies duodecim curatus fuit, omnisque dolor & tumor remisere.

Lepram curare idem asserit. Contrà scabiem inueteratam, inquit tineam, herpetem & præ cæteris aduersùs lepram confirmatam, medicamentum huic simile non reperitur. Huius rei testimonium perhibere poterit, Ecclesiasticus quidam in Gallia Narbonensi, qui adhuc in viuis est: qui cùm animaduertisset, se hoc malo correptum esse, vltra centies manus violentas sibi ipsi inferre, & se de fenestra præcipitem dare voluit, nisi fuissent, qui ipsum obseruassent. Verùm huius lapidis auxilio, quo per menses tres, quotidie mane sumendo vsus est, adhibita tamen bona victus ratione, quæ ipsi præscripta fuit, sanitati restitutus fuit.

Quare omnibus lapidibus pretiosis, & vnicornu præfert Ryff: & Linscottus & Arthus historici facultate efficaci Vnicornu longè supera-

re, cuius rei à longo tempore experimenta sint certissima, scribunt.

a lib histor. hist. 10. *b* lib. proprio. *c* sect. 4. consil. 9. *d* lib. 5. cap. 13. *e* lib. de dysent. cap. 10. *f* lib. consil. & obser. & hist. cap. 32. *g* in prologo in comment. supra Mesuem. *h* lib. 2. de lapid. cap. 193. *i* in coment. in Diosc. lib. 4. cap. 73. de Napello. k obseruat. chirurg. obseru. 87.

QVI HVNC LAPIDEM NON MAGNI FACIANT, VNÀ cum Historiis eorum, qui sine fructu vsi sunt.

CAPVT XLIII.

ETsi præcedenti capite in lapidis Bezoaris commendationem, historias varias proposuerimus: nunc lubet opiniones eorũ, qui non tanti fecere, vel alia huic prætulere, apponere, additis historiis quibusdam, in quibus vtilis non fuit, initio ab Historiis facto.

Ambrosius Paræus *a* verba faciens de medicamentis iis, quæ sint & dicantur Bezahardica, inter cætera hæc habet.

Iactabat superioribus annis corã Carolo Rege, tùm apud Claromantes Aluerniæ agente, huius lapidis aduersum omnia venena certissimas vires nobilis quidam, penes quem ex eo genere vnus erat Hispania importatus. Quærenti tum ex me Rege, num quid esset Alexiterium, quod contra deleteria omnia pariter æqualiterque valeret, Respondi nequaquam id natu-

naturam admittere,&c. (reliqua suprà adduximus) mox: facilè verò esse eius rei periculum facere in facinorosis cruci damnatis. Placuit Regi conditio. Adductus est à Latrunculatore coquus, qui ob pelues argenteas duas furto in domini ædibus subductas, patibulo breui affigendus erat. Rescire tamen ex eo antè Rex voluit, num venenum sumere vellet, ea lege, vt si Alexiterium, quod vires diuinas contra venena omnia habere dicebatur, statim ipsi à veneno exhibendum eum à morte vindicaret, vita illi sarta tectaque esset. Alacriter aleam istam subiturum se respondit coquus, grauiora etiam, non redimendo modò vitæ, sed & infamis mortis vitandæ gratia subiturus. Ergo à Pharmacopola, qui tùm in officio erat, exhibitum illi fuit venenum, extemploque à veneno, Hispania aduectum Bezahardicum. Quibus ingestis, mox vomere cœpit, & per inferiora, multa cum diris torminibus excernere, inclamareque sibi igne quodam viscera peruri. Itaque aqua sitienti & poscenti oblata est: horam vnam pòst, cum bona Latrunculatoris venia, ad ipsum intromissus, hominem comperio in terram prouolutũ, manibus, pedibusque feræ modo gradientem, lingua ab ore exerta, flammeis oculis, vomiturientem cum frigidis sudoribus copiosis, sanguine denique per aures, nares, os, anum & vrethram, manante. Exhibui hauriendas olei vncias octo, sed nihil opis attulit, id enim tardius venit remedium. Itaque magno cum cruciatu,

& vlulatu tandem mortuus eſt, cùm vix ſeptima à ſumpto veneno hora eſſet exacta. Cadauer præſente Latrunculatore, & quatuor aliis, diſſecui, comperique ventriculi fundum, tanquam ab inuſto cauterio atrum aridumque: ex quo intellexi ſublimatum ipſi fuiſſe exhibitum: cuius vim, Bezahardicum Hiſpanicum eludere non potuit: Rex id in ignem dari iuſsit. Hæc Paræus.

Ludouicus Guyon *b* refert. Carolo nono Francorum Regi, dum Molinis eſſet, lapidem Bezaarticum oblatum, cuius periculum, volente Rege, in duobus, qui mortem ignominioſam promeruerant, factum eſt: quare ambobus venenum propinatum fuit, ſed illorum alteri lapidis huius portio data, qui tamen non ſecùs ac alter, cui lapidis nil fuerat exhibitum, mortuus eſt. Quare lapis confractus fuit, & eum ex maſſa continua, non verò ex laminis compoſitũ fuiſſe animaduerſum, idcirco in ignem proiectus fuit: & is qui dono obtulerat, ſperans ſe à Rege inſigne honorarium reportaturum, nil niſi trucem Regis & Reginæ matris aſpectum accepit.

Hieronymus Briſianus Salodiẽſis Medicus *c*. Donauerat, inquit, vni de nobilioribus Bezoarticum lapillũ, quem tanquam Zopyri talentum ſcrinio credula incluſerat, poſtquam verò eius ſpectandi copiã fecit, fucus detectus. Nam confractus arenulam vitream præ ſe ferebat, ex qua precarii globuli, vel ſphærulæ conſtrictioni veſtium corporis vſui frequentes, conflari ſolent.

Perſi-

Persimilem gemmam elargitus erat & alteri: facilis enim iactura terreni: huius pura mulier comminutam particulam cuidam familiari dederat potandam, ipse ad eum vocatus, offendi symptomatibus variis agitatum, númne ab epoto veneno, est enim lethale vitrum, obiit ille non longum pòst miser.

Non ergò mirum, si Manlius *d* ad Cratonem scribat: quid si istis Abrahami illius Lusitani mihi hic familiaris sententiam tribus verbis expressam adiicimus, nempe hunc lapidem in stomachis caprarum syluestrium ex certa herba nostris regionibus insueta, in Persia tantùm, & insula dellas Vaccas, Indiam versùs gigni, & ad pestem hoc ipso facere, quod cor, exacto inde humore melancholico, corroboret; nec expellere malum per sudorem, & Persas ac Indos bis in anno exigua eius quantitate assumpta purgari, hæc si corollarii vice superioribus addimus, ac cum his rursùm ea conferantur, quæ à nobis aliâs ad te perscripta sunt, apparebit liquidò quàm isti, non vniuersi tantùm inter se, sed singuli etiam secum reipsa dissideant. Quid verò ego mecum dum ista audiui? discedo incertior, quàm prius, vt Terentianus ille aiebat. Magna res est clamant omnes, magna certè, sed certi nihil: & tamen non est nihil, quod tum de hoc lapide, tum de terra Lemnia, aliisque nonnullis hîc compertis, exiguo scripto, quod nunc est in manibus, possim admonere, nisi tuam audire sententiam potiùs, quàm meam proferre mallem.

Quare Maſſariæ de febre peſtilentiali *e* agentis, hæc eſt ſententia: de lapide Bezoar, cornu monocerotis, oſſe de corde cerui, & reliquis id genus prę ſidiis & pretioſis medicamentis, multi mirabilia prædicant, ſed ego hactenûs, vt liberè dicam, tot & tanta miracula non potui obſeruare, vnde neque admodùm illorum vſu ſoleo delectari, atque eò minùs, quòd non ſolùm ſint inuentu difficilia & rariora: ſed etiam nonnulli rerum naturalium ſtudioſi & peritiores, ea velint pro maiori parte eſſe commentitia & fabuloſa. Et alibi *f* addit, his contrà peſtilentiã, atque adeò venena omnia tantas vires pleroſq; attribuere, vt cęteris non modò ſimplicibus huiuſce facultatis medicamentis, ſed ipſi etiã Theriacæ, & alteri cuiuis antidoto illa præferre non vereantur, quæ tamen omnia à peritioribus pro maiori parte commentitia habentur.

Hinc Valeſius *g* non multum huic lapidi tribuere videtur, cuius verba adnotare lubet. Vſus & multorum approbatio maximam authoritatem comparauit inter ſimplicia lapidi Bezaar, & primùm quidem ei, qui aduehitur ex India: ſecundùm ei, qui ex America. Inter compoſita, compoſitioni celebri ex Hyacinthis. Lapide quidem multi iique prudentiſsimi atteſtantur. Mihi verò nullus non eſt adulterationis ſuſpectiſsimus: timeo, ne nullus nõ ſit factitius: multos tamen iuuit, neſcio an opinione, ſed & hoc debet Medicus vti. His Valeſii verbis, Syluaticus *h* hoc addit. Quis quæſo Scriptoris huius cele-

celeberrimi authoritatem non multi fecerit? præterquàm quòd doctißimus est, nullusque opinione nostra post Galenum & Græcos alios scriptores rectiùs de rebus Medicis scripsit & luculentius: Hispaniarum etiam regis maximi Philippi huius nominis secundi Medicus fuit cubicularius: ad quem Regem tanquam omniũ post Salomonem potentißimum, ex suis etiam propriis regionibus, & regnis veri genuinique lapides Bezaar fidelißimè deferri debuissent, & à Medico illius omnium peritißimo probè cognosci: qui tamen tantum hac in re habuit dubium, vt nullum non factitium, se agnouisse, liberè admodùm fassus fuerit: hæc Syluaticus. Sic testatur Hercules Saxonia *i*, se Venetiis maximam huius copiam consumpsisse, nec egregiam operam sensisse: scire se quidem plurimos quibus exhibuerit, fuisse sanatos, sed id in lapidem non retulisse.

Sic Io. Thomas Minadous *k*: Sunt aniles fabulæ omnia quæ de lapide Bezahar ab Arabibus, & recentiorum nonnullis scribuntur: nam & ego qui innumeros febre maligna correptos curaui, non sum grauatus curiosè inquirere vires huius remedii, & illius vtilitates diligenter explorare, cùm tamen nihil ex eo vel eximii vel præclari vnquam colligere potuerim, &c.

Et Rulandus *l*, qui lapidem hunc inter sudorifica alexipharmaca malignitatem pestilentem ocyßimè conterentia retulerat, postmodum *m* demirandum inquit. Bezoardicum la-

pidem maximi quidem pretii, minoris tamen efficacitatis, nobilissimo cornu ceruino præferri, eisque laudibus ornari, quę tribui potiùs cornu ceruino deberent. Inferes, Bezoar non antidotum duntaxat esse, sed & Cardiacum: effectu rarius, pretio summo euidentius, vtrumque arguitur verum. Quoties sine vllo fructu Bezoardicus lapis etiam tempestiuè, euacuatione ritè priùs facta, exhibitus est, isque minimè parca, sed larga manu, nihilo secius defunctis ægris: si tantarum virium est, cur plerosque non iuuit? Dei maledictionem & morbi vim maiorem, quàm vt eo oppugnari queat, obiiciendo nihil proficies: apud plerosque enim quibus administratus est, neutrum habuit locum. Deinde si Cardiacũ est Bezoar, aut manifestis aut occultis qualitatibus cor corroborabitur. Si manifestis, iis quoduis conflatum Cardiacum erit: ergo occultis qualitatibus, quibus nec cornu ceruinum priuabis. Quomodo autem eiusmodi terrestris soboles, qualis est Bezoar aureolus, cor corroborare valeat, maximum est dubium: cùm quottidie iis solùm rebus robur afflari cordi obseruemus, quæ laudabilem sanguinem de se promunt, indeque spiritus vitales quantitate qualitateque adaugent. In talem sanguinem, vel momentum eius transire Bezoar solum, nemo mortalium probabit: nisi spiritus cordis robur ex Bezoar spirantibus stabiliri finxerimus, & languentes spiritus vitales suscitari. Sed quid spirituum in scrupulo dimidio Bezoar omninò

ἀποίȣ

ἀτμοῖς insidere poterit, siq́ue insident, quid obstat quò minus subitò euanescant in auram, in tenuissimum præsertim pollinem contrito lapide? teste magnete & succino, quæ in puluerem contrita, ferrũ & paleas non ampliùs tam expeditè attrahunt, vtpote suis priuata spiritibus, quorum ope tractus est factus. Oportebit sanè spiritibus corpusculo minimo inclusis agere, si quam agendi contrà virulentiam est sortitus Bezoar virtutẽ: corpore ipsomet tam exigua dosi dato, vt longè impar sit resistendæ malignitati per capacissimum disseminatæ corpus: hactenus Rulandus.

Quare Thomas Iordanus *n*, Lemniam terrã præfert: Terram Lemniam, ait, per se & aliis permixtam, tam fœlici successu exhiberi quotidie cernimus, vt si mihi optio esset danda, mallem lapidem Bezahar, qui Turcicis cõmerciis Satraparum nunc muneribus frequentior apud nos esse cœpit, excludere, quàm terras medicamentosas è pestilentium antidotorum catalogo extorres reddere.

Ratio, inquit Sanctorius *o*, cur Bezoar qui ad nos defertur, despici debeat, est, quia referũt sudorem excitare, quod, vt docet experientia, est falsum: præterea in nostro Bezoar, intrinsecus est nucleus, vel palea, quod ostendit esse arte factum: & insuper videtur fabulosa eius historia à Serapione proposita, quòd sit lacryma ceruorũ Orientis, &c. Et Mindererus *p*, Smaragdum quem sæpius exhibuit, magis forsan (inquit) lauda-

laudauerim, quo etiam veteres, Arabes præsertim & moderni quoque medici vtuntur, exhibendo eius grana ſex vel octo, cuius vi malignitatem expelli fuit hucuſque creditum, licet effectus non ſemper reſpondeat, de quo Fracaſtorius: hoc inſigniter ac momentanea quaſi vi ſemel admirabundè profuiſſe vidi, quod Recipit Smaragdi præparati, lapidis Bezaard orientalis ana grana vij. Hyacinthi pręparati gra.iij.miſce, fiat puluis.

Non minus eleganter quā verè Syluaticus *q*, facilimum ſanè ei qui voluerit, ſuamet adducta experientia quicquid voluerit de quouis medicamento affirmare: faciant hoc circumforanei & circulatores, quod Medicos rationales vbiq; dedecet: faciant & illud, qui medicamentorum vires penitus neſciunt, ea tamen laudare intendunt. Dicant quæſo nobis qui talia tantaque de lapide iſto affirmant, qua in eo propalando vſi fuerint experientia, quomodo cognouerint, illum venena omnia, & morbos omnes venenoſos ſuperare. Proferant ad id confirmandum experientiæ factæ tempus, quibus ea fecerit, quibus venenis vſi fuerint, & quibus tandem obſeruatis experientiæ legibus, negotium abſoluerint: ſtatimque vanam, infidam, incertam & mancam eam fuiſſe is intelliget, qui veræ experientiæ leges ſciuerit. Particulares quoſdam euentus adduxerunt, veram & abſolutam experientiam minimè conſtituentes. Ægrotantes pleroſque ſumpto hoc lapide, ſanitatem acquiſiuiſſe,

fuisse, affirmant. Sed an aliis simul vsi fuerint medicamentis, erat vt animaduerterent: quia sic non plus huic, quàm illi medicamento, est effectus asignandus. Sed & illud ipse cum aliis nonnullis affirmo, tot tantisque recitatis morbis non venenosis, conuenire minimè posse lapidem hunc, neque ratione, neque experientia id attestantibus: melancholiæ dico, aliisq; melancholicis morbis: obstructionibus, partui difficili, secundæ retentæ, mensibus restrictis pariter & præter modum fluentibus: comitiali morbo, & aliis enumeratis. Sunt horũ morborum calidi aliqui, frigidi alii: attenuatione eget vnus, incrassatione alter: quibus quidem contrariis indicationibus, vna sola refrigerandi, & exiccandi facultate manifesta, qua præditus est, satisfacere illum posse, nullus qui de rebus Medicis rectè sentiat, affirmabit. Ad occultam proprietatem sese recipient, scio: & hanc contrarios effectus facere posse, affirmabunt. Hos eo inprimis argumento redarguere nobis licet, quod non à forma lapidis occulta ii effectus proueniunt, sed ab ipsius herbæ lapidem producentis rei occulta, vt dixit Iosephus Acosta ex Indorũ mente. Si dixerint herbam illam, & ipsam id à proprietate occulta præstare. Dicam ex aduerso, huiusmodi cõtrarios effectus ab occulta proprietate proficiscentes, sola experientia determinari. Ex his qui in exteris regionibus & Italiæ vicinis de lapide isto scripserunt, non omnes vnum & idem testati sunt. Ex antiquioribus, v-

num

num ſolum Serapionem, luculentius & diſtinctè magis de hoc lapide ſcripſiſſe, ſuprà admonuimus, nec tamen enarratis morbis non venenoſis, quod conferat, docuiſſe, ex ipſius verbis cuiq; manifeſtum eſſe poteſt. Venenorum tantum & venenoſorum morborum, ſicuti & Rhaſis meminit: quorum autoritate freti, febribus quoque peſtilentibus, cum ipſis venenis ſimilitudinem quandam habentibus, conferre illum poſſe, negare non audemus. Sed ad lapidem Bezaar Occidentalem, ſiue Peruuianum veniamus.

a lib.20.cap.36. *b* lib.5.cap.13. *c* lib. de noua medicina, in quo multorum errores detegit. *d* epiſt.191. *e* lib.7.ſuæ praxeos cap.24. *f* de peſte lib.2. *g* 4 meth. 2. *h* lib.de bezaar. *i* de febrib. cap.37. k lib. de febrib. malig. cap.15. *l* de lue Vngarica cap.6 *m* cap.7. hiſt.7. *n* de peſtis phœnom. tr.2. cap.6. *o* lib.14. de vitand. errorib. cap.4. *p* lib. de peſte pag. 202. *q* lib. de bezoar.

DE LAPIDE BEZAAR OCCIDENTALI SIVE Peruuiano.

CAPVT XLIIII.

CVm de lapide Bezaar, qui ex India Orientali adfertur, abunde dictum fuerit: nunc de eo, qui ex India Occidentali, ſiue qui ex regno Peru aduehitur, ſermonem inſtituemus: & primùm, locum in quo animalia lapidẽ hunc geſtantia, viuant: deinde, quæ illa ſint, quomodo nominentur, & quæ ipſorum forma ſit, propoſituri ſumus.

Locus

Locus ſeu ſolum natiuum huius animalis, ſunt montes Peruuiani, Petro de Oſma *a* auctore; illud enim admiratione non carere ſcribit, quod animal hoc p̃ totas Indias nõ reperiatur, præterquam in montibus regni Peruuiani: ſe etenim omnia Mexiocana regna, omnes Peruuianas prouincias & regna: prouincias & inſulas Maronnon, Floridam, & multas præterea Occidentalium Indiarum regiones peragraſſe, attamen nuſquam quàm in ſolis huius regionis montibus conſpexiſſe.

Auctor eſt Ioſephus Acoſta *b*, in omnibus animalibus, quæ Peru peculiaria habet, lapidem hunc reperiri: addit, in Prouincia Xauxa, & aliis Peru finitimarum Prouinciis, in diuerſi generis animalibus, tam feris, quàm cicuris reperiri. Ex quibus ſint Guanacos, Pacos, Vicunnas, & Taraguas: quibus caprarum quoddam genus adiungant, quas Cypris vocent. (Baccius *c* capriceruum nominat.) Imò & in regno nouæ Hiſpaniæ, Ceruos quoque hos lapides promere, quo tamen loco, nec Vicunnas, nec Pacos, nec Taraguas, vſpiam reperire liceat, idem teſtatur.

FORMA ANIMALIS.

FORMAM animalis Petrus de Oſma *d*, his verbis expreſsit: Animalium genus quoddam in iſtis montibus frequens inuenimus, valdè ſimile iis hircis (niſi quod cornibus orbum ſit) quos in Orientali India reperiri tradis (Monar-

dem

dem intelligit) ruffi ſunt coloris magna ex parte, & herbas ſalutiferas depaſcuntur, quarum magna eſt copia in montibus, vbi iſta animalia degunt: ita fugacia, vt ſolo tormentorum ferreorum ictu adſequi poſsimus.

Verùm cùm Ioſephus Acoſta *e*, de prædictis animalibus capitibus duobus egerit, eorumque deſcriptiones adpoſuerit, lubet, in Lectoris gratiam, ne quid huic tractatui deſit, ipſius verba duobus ſubſequentibus capitibus ſubiicere.

a in epiſt. ad Monardem cap. 75. *b* lib. 4. hiſt. natural. Indiæ cap. 42. *c* lib. de gemmis cap. 34. *d* vide ſuprà cap. 17. hæc etiam refert Boëtius lib. 2. de lapid. cap. 192. *e* lib. 4. hiſt. natural. Indiæ cap. 40. & 41.

DE VICVNNAS ET TARAGVAS IN PERV.

CAPVT XLV.

EX rebus præſtantiſsimis, quas Peru habet, Vicunnas ſunt & Oues. Vicunnas, feriores ſunt: Oues, manſuetæ. Sunt, quibus perſuaſum eſt, de his etiam Ariſtotelem, Pliniũ, ac cæteros auctores tradidiſſe, quo loco de Capris egerunt, cum quibus propter agilitatem, & montium amorem conferri poſsint. Sed hæc animalia, ex caprarum genere, neutiquam ſunt. Nec enim Vicunnas, cornua caprarum more habent, quas ſuis Ariſtoteles aſsignat: multò minus capræ ſunt Orientals, ex quibus lapis Bezaar demitur. Aut ſi omnino huius generis cenſendæ forent, illarum diffuſum genus ceu canum, omnino eſſe oporteat.

Æqua

Æqua ratione Vicunnas Peruenſes,non id animal ſunt,quod in noua Hiſpania Bezoar promit: hoc enim ex Ceruorum genere eſt, cui ſimile noſtro iudicio non in vniuerſo orbe reperiatur,niſi in Peru ac Chile finitimis.

Vicunnas capris maiores, vitulis minores, colore leonino, ſed ſplendentiore ſunt: cornua non habent,vt in capris & ceruis ſunt. Montanorum loca gelidiſsima colunt,Punas dicta: eas nec glacies, nec niues lædunt, imò potius firmant, reficiuntq;. Gregatim oberrant,& miræ celeritatis ſunt: peregrinantibus tum hominibus, tum pecoribus occurrentes, feſtino in fugam ſe dant, cùm ſint timidiſsimæ: fugientes, pullos ante ſe agunt. Hæ an genus ſuum propagent, nulli ſcitum eſt: quâ de causâ Ingæ reges,mandato cauerunt,ne figerentur, aut quouis modo ferirentur: niſi id iuſſu priuato diebus feſtis liceret. Multi quæruntur, Hiſpanos Indiam ingreſſos, venationibus crebris, harum numerum nimium confeciſſe, vnde iam pauciores ſint. Venatibus operam daturi, vno numero tria aut quatuor millia virorum congrediuntur, qui montis partem inſignem ambientes, ex omnibus locis in vnum pecudes compellunt, coguntque. Ex harum medio poſtea 300.aut 400. quantum volunt, ſeligunt: cæteras, cumprimis fœmellas, procreandæ ſobolis gratia dimittunt. Eas tondere quoque conſueuerunt, ex lana pallia & tegetes texentes, quæ magni æſtimantur. Lana ſiquidem ſerici æmu-

la durationis longæ eſt: colorem natiuum ſeruat: tinctura non variatur. Veſtes huiuſmodi, in calidis aëris conſtitutionibus perfrigerant; & renum comprimis ardorem mulcent. Sed & alio modo adhibentur, nimirum in lectis. Haud pauci, lanâ in genere, pro totius corporis ſanitate firmanda vtuntur, cuius vires, non inualidas experiuntur. Ex hac confectos tegetes, podagricos dolores mulcere, aut arcere affirmant.

Vicunnas caro proba non eſt, etſi hanc Indi edant, fumoque indurent. Quam verò vim medicam habeat, noſtris peregrinationibus didicimus. Nam cùm aliquando per montana Peruenſia profecti, veſperi in Tambo ſeu hoſpitio diuertiſſemus, dolor inæſtimabilis oculos noſtros inuaſit, tanta crudelitate, vt oculos nobis eliſum iri omnino videretur. Quo morbo ii ferè corripi ſolent, qui per aſsiduas niues iter faciũt, nec præter has oculis quicquam diſpiciunt. Nobis ergo cum intenſo dolore acriter luctantibus, fœmina quædam Indica cubile ingreditur, de carne Vicunnas recens captæ (nam vel dum cruor emanabat) aliquid promens, iubensque, vt oculis imponeremus. Quo facto, oculorum ægritudo quaſi in momento deſæuiit, & nos in totum illicò reſtituit. Præter ſupra dictam venatus rationem, Vicunnas alia quoque arte captant; eas in locum tam anguſtum cogunt, vt emiſsis glandibus aſſequi queant. Ex lineis funiculis plumbi glandem, ſeu maſſam religant: his excuſsis, animalium pedes inuoluunt, innectuntque,

nectuntque, ne quo fuga prosilire queant: hoc modo, quot volunt, capiunt. Præcipuum quod habent hæc animalia, Bezoar lapis est, in ipsis conditus.

Sed & aliud animalis genus TARAGVAS vocant, ferum & ipsum, at pernicitatis maioris, & corporis grandioris: color adustior: aures propendulæ: non, vt Vicunnas, gregatim errant, sed singulis pascua solitaria, idque in locis editioribus. Ex his quoque Bezoar eruitur: cæteris tum magnitudine, tum viribus præstantior.

DE OVIBVS PERVANIS, PACOS, ET GVANACOS.

CAPVT XLVI.

PEruanis nulla res maiori aut vberiori quæstui est, quàm pecudes, cumprimis oues ipsis Ilama dictæ: quibus, vt verè dicam, nihil vnquam vtilius esse possit: vt alantur, sumptu nullo opus est: & tum cibos, tum vestes, incolæ ex hac pecude accipiunt, velut Europæi ab ouibus suis. Præter has commoditates, Indi hanc quoque sentiunt, quod ouibus omnia necessaria ipsis apportantur: quæ tamen vt equi nec sufferrantur, nec frenis incinguntur: his nec auena obiicienda, nam gramine satiantur. Videre tamen hinc est, voluisse Deum, Indis hoc animal & pro oue simul & equo seruire. Cúmque populus magna parte pauperrimus esset, suffecto copioso gramine, penuriam hanc Deus

ipſis demptam voluit. Ilama autem duorum generum ſunt: vnum Pacos, laniferum: alterum lana carens, ſed geſtandis ſarcinis & oneribus aptius. Europæis ouibus maiores, minores vitulis ſunt, collo oblõgo & camelorum modo porrecto. Quod natura ita ſtatuit, vt erectiori corpori, proceritas colli reſponderet. In colore variant, nam reperiuntur albæ, nigrę, cæſiæ, variegatæ; Indis Mocomoro dicuntur. Incolæ loci, in ſacrificiis olim faciendis, colorem diligenter attendebant, quem anni temporibus & votorũ generibus reſpondere oportuerat.

Pecudis caro eſilis quidem, ſed durior & tenacior: agni, in cibum delicatiores: ſed horum paucos mactant: earum vſus eſt, vt lanam, pannis aptam, promant, & onera portent. Lanam detonſam Indi parant, & ex ea pannos texunt, quibus veſtiantur. Sed hi craſsiores ſunt, quos Hauaſca nominant: ſubtiliores & pretioſiores, Cumbi appellantur. Ex his mappas, tegetesque & ſimilia texunt, quæ tum durabiliora, tũ ſplendidiora, ſerici modo micant. Texturæ peculiarem modum adhibent: & Ingæ ad præſtantiſsimos pannos faciendos opifices ingenioſiſsimos olim adhibebant: textores artificioſiſsimi in prouincia Capachica, apud latum Titicacæ fluuium habitabant, &c.

Vniuerſum hoc pecudis genus locis frigidis gaudet, in quibus probè augeſcit, & ſaginatur. In campeſtribus æſtu facilè tabeſcit, & emoritur: tum pruinis, tum glacie perſæpè horridæ

oues

oues incedunt, & tamen optimè ſaniſsimeque habent. Lanæ, quæ breuiores ſunt, vultum amabilem admodum & iucundum habent: quæ nonnunquam in media via reſtitantes, erecto collo actores ſuos & alios quaſi admirabundæ longo tempore aſpiciunt, aut intuentur, nullo interim vel metus, vel gaudii ſigno edito: quæ res multis riſum excutere poſsit. Facilè tamen terrentur & in pauorem dantur, adeò vt rapida feſtinatione altiſsimos ſæpè ſcopulos aſcendãt. Quod ſi accidit, ne cum ipſis profugis argentum quoque pereat, ſclopetis ex edito præcipitandæ & decutiendæ ſunt.

PACOS quin etiam vſque adeò ira incandeſcunt interdum, vt cum onere in terram procumbentes ab iſto loco abigi non poſsint, etſi fuſtibus fruſtulatim comminuantur. Hinc in Peru de iis, qui nullorum monitis aut iuſsis parêre volunt, natum hoc prouerbium eſt: Hic impacatus eſt, id eſt, Paços æmulatur: quo dicterio reo contumaciam exprobrant. Ergo ſi quæ fors iratior ita procubuit, tum cuſtodes eius ſuſcitandæ remedium nullum habent aliud, quàm vt iuxta Pacos conſideant, illis abblandiantur, & quo cum vis verborum lenocinio deliniant, dum ſpontè ſua reſurgant: quibus blandimentis ternæ interdum horæ conficiuntur. Vitio quodam ſcabiei ſimile infeſtari ſolent, ex quo perſæpè moriuntur, id Carache vocant, &c. Hactenus Acoſta.

DE LOCO, IN ANIMALI, IN QVO LAPIS HIC reperitur.

CAPVT XLVII.

NVnc locum in animali, in quo lapîdes hi reperiuntur, ſubiiciamus, ex epiſtola Petri de Oſma ad Monardem ſcripta decimaquinta Iunii anni 1568. nos cum aliquot amicis ad venationem profecti ſumus, in huius regionis montes, in eam quinque dies inſumpſimus, & aliquot ex iis animalibus cōfecimus. Aperto itaque maximo *a*, & prouectioris ætatis animali, neque in ventriculo, neque in alia parte corporis lapides inuenimus: quo factum eſt, vt Indicis animalibus ſimilia non eſſe putaremus: percontati Indi, quos, vt nobis inſeruirent, deduxeramus, qua corporis parte, lapides hæc animalia haberent: ſe quicquam de lapidibus ſcire negabant (vt ſunt nobis infeſtiſſimi, nec ſua ſecreta nobis innoteſcere vellent) Indus tamen puer, decem aut duodecim annos natus, cùm videret nos tantopere id ſcire cupere, in animali receptaculum quoddam & veluti marſupium nobis oſtendit, in quod depaſtas herbas recipiunt, domi poſtea eas ruminatas in ventriculum traiiciunt. Ibi puerum illicò interficere voluerunt Indi, quod nobis id indicaſſet; eundem tamen poſtea, nobis in venatione occupatis, interceperunt, &, vt intelleximus, ſacrifica-

crificarunt. Indi hos lapides magno habent in pretio, & in Idolorum ſuorum delubris, quæ Guacas vocant, cum aliis quibusque pretioſiſſimis offerre ſolent, veluti auro, argento, gemmis, monilibus, animalibus & pueris. Ex animalis igitur, quod primum ſecuimus, burſula nouem lapides, exemimus: ſecuimus & alia huius generis animalia, quæ confeceramus, in quibus omnibus lapides inuenimus, plures aut pauciores, pro animalium ætate.

At Monardes *b*, locum illum, in quo lapides hi generantur, ſic expreſsit: primus illorum obſeruator (intellige Petrum de Oſma) videre cupiens, quâ ratione in animalibus generarentur, ſuis ipſemet manibus, eorum animalium Anatomen fecit, & mihi deinde ſignificauit, eos *c* gigni in receptaculo quodam, faſciæ modo confecto, & villoſa carne conſtante, duorum palmorum longitudine, & trium ferè vnciarum latitudine, ipſi ventriculo parte interiore adhærente, alios aliis maiores, & quodam ordine diſpoſitos, vti nodos veſtem anteriore parte claudentes. Eo receptaculo aperto, eximuntur lapides, quos iſti magna Naturę Prouidentia ad noſtram ſalutem & noſtrorum morborum remedium generari, ſumma admiratione non caret. Atque vti intelligo, qui ex Orientali India adferuntur, eâdem ratione inueniuntur, & eximuntur, è certo caprarum genere, quæ magna ex parte ruffæ ſunt, vti noſtræ. Sic Ioſephus Acoſta *d* refert, in ſtomacho & ventre horum ani-

malium (ſcil. in Occidente) aliquando vnum ſolum, aliquando duos, tres, etiam quatuor reperiri.

a hæc quoque Syluaticus tr. de lap. bezaar pag. 82. recenſet. *b* de ſimp. Indic. cap. *c* hæc & Boëtius lib. 2. de lapid. cap. 192. refert. *d* lib. 4. hiſt. natur. Indiæ cap. 42.

DE LAPIDIS HVIVS MATERIA, ET GENERATIONIS MODO.

CAPVT XLVIII.

MAteriam, ex qua lapis hic generatur, breuiſsimè Petrus de Oſma & Monardes propoſuêre, dum ex ſalutiferarum herbarum depaſtarum ſucco, ruminatione concreto, generari ſcribunt. At Ioſephus Acoſta *a* generationis modum plenius expreſsit: Indiani ex traditione & relatione ſuorum parentum referunt, in Prouincia Xauxa & in aliis Peruuianis prouinciis, tum herbas multas, tum animalia venenata plurima degere, quæ aquas vnde potent, & gramina ſiue paſcua, quæ carpant, & etiam odoratu, contagio ſuo inficere ſoleant. Contrà verò inter herbas illas à naturâ ſingularis quæpiam ibi producta eſt, quæ arcendorum venenorum vim maximam præſtat. Hæc herba ſolius naturæ ſolertiâ, & inſtinctu quodam naturali, ipſi Vicunnæ & cæteris animalibus, quæ lapidem Bezaar generant, notiſsima eſt, quam herbam auidè deuorant, vt eius auxilio præſeruentur, à virulentia aquarum & paſcuorum: & ex her-

ex herba hac eſitata in ipſorum ventriculo lapis hic generatur, qui ab herba hac virtutem omnem, quam contra venena habet, acquirit. Hæc Indorum opinio, per viros in regno Peru experiẽtia claros, detecta fuit: quæ cum iis conueniunt, quæ à Plinio de capris montanis referuntur, quæ ſine omni periculo venenis nutriuntur & paſcuntur. Indiani, addit Acoſta, à nobis interrogati, cur verueces, vaccæ, capræ & vituli Caſtellanis ſimiles, quæ animalia etiam ex Hiſpania veniſſent, lapidem Bezaar non habeant, cùm tamẽ iiſdem in rupibus herba hac paſcantur. Reſpondent, ſe non credere animalia illa, quæ ex regno Caſtiliæ adducta ſunt, hanc herbam deuorare: imò etiam in Ceruis & Damis lapidem Bezaar reperiri. Quod ſanè conſentit cum eo, quod etiam in noua Hiſpania lapides Bezaar (quamuis in ea nec Vicunnas, nec Pacos, nec Taraguas, neque Guanacos ſint) in ceruis aliquibus reperiantur: quod & ſuprà peculiari capite monuimus.

Verùm, vt idem Acoſta *b*, admiratione dignum, hos lapides ſupra res diuerſas naſci & formari: vt ſuper ligulæ ferramentum, ſuper aciculam, aut feſtucam, lignive fragmentum, quę in lapidis centro reperiuntur, quam tamen ob cauſam falſi non æſtimandi: contingere enim poteſt, vt animal tale quid ſimul cum gramine deuorarit, & ſuper hęc lapidis ſenſim augeſcendo circumglobetur & craſſeſcat. Rei admirabilis à ſe circa hanc rem obſeruatæ, hiſtoriam ad-

didit: duos ſcil. ſe in Peru lapides vidiſſe, in quorum cauitate nucleus Pini Caſtellani, circa quẽ conglobatus erat, continebatur, quòd omnes in admirationem traxerit, ſiquidem in toto regno Peru *c*, neque Pinos, neque nucleos Pineos Caſtellanos vidimus, niſi fortè ex Hiſpania allati fuerint, quæ tamen res mihi extraordinaria videtur.

Ex diuerſis autem tunicis, aut pelliculis ſibi inuicem incumbentibus, lapides hi formati & compoſiti ſunt, vt rectè Acoſta. Senſim enim, ait Baccius, aggeritur circa feſtucam, laminatim inſtar tunicarum Cępe, ſic vt lamina priore ſublata, quæ ſequuntur clariores & ſplendidiores, quo vlterior progreſſus fit, appareant, quarum nonnullæ exterius ſplendorem auri repræſentant: & Monardes *d* teſtatur ſe aliquot comminuiſſe, qui ex tenuibus ſplendentibusque laminis, eodemque colore conſtabant, quo ii, qui ex India Orientali aduehuntur, atq; aut in puluerẽ aut in granulum, vt illi deſinebant. Sic Cluſius *e* propoſuit: cõſtant ex tunicis, ſiue cruſtulis, modò craſsioribus, modò tenuiorib. aliis alias amplectentibus, politis interdum & ſplendẽtibus: nonnunquam aliquantulũ ſcabris, extima præſertim & reliquas complectente, vt in renum & veſicæ calculis videre licet: ſed inueniuntur nonnulli, quorum cruſta exterior, variis locis adeò altè exeſa conſpicitur, vt ſecunda appareat tunica, nonnunquam & tertia.

a lib. 4. hiſt. Indiæ cap. 42. *b* Syluaticus lib. de bezoar pag.

pag. 89. eadem habet. *c* in ea regione Peruana in qua non adſunt Pinei, neque ad eam ex Hiſpania adferri ſolent. Syluaticus. *d* cap. 34. *e* in notis ad Monardis cap. 34.

DE HVIVS LAPIDIS DIFFERENTIIS.

CAPVT XLIX.

CVm lapides hi plurimum inter ſe differát, partim ratione animalium in quibus reperiuntur, & quidem vel in montoſis, vel in planitie pabulum capientibus: partim ratione formæ, magnitudinis, coloris & ſaporis, has differentias, ſubnectemus: & primùm quomodo ratione animalium differant, exponemus.

Auctor eſt Petrus de Oſma, ſola animalia, quę in montibus paſcuntur, lapides iſtos præſtantes generare: nam quæ in planis pabulum ſumunt, quia herbas minus ſalubres depaſcuntur, propterea lapides eorum, tametſi vtiles, iis viribus tamen non pollent, quibus ii præditi, qui ab animalibus in montanis degentibus eximuntur. Et Monardes *a*: verum quidem eſt, eos qui ſelectioribus notis præditi ſunt, quas probatiſsimi lapides Bezaares obtinere debent, ex animalibus quæ in montanis degunt, eximi oportere: nam qui ex animalibus in planis viuentibus educuntur, improbi ſunt, nec vlla Medica facultate præditi, quoniam non aluntur iis ſalutiferis herbis: mox ſubiungit: ſunt etiam ſelectiores, qui ex animalibus in Perſiæ montanis degentibus educuntur, quàm qui ex aliis capris in

Malacæ


Malacę planis & campeſtribus viuentibus:nam̨ illi eo pretio non habentur, neque eam pręſtantiam & facultatem obtinent, quas Perſici quia Malacenſes capræ ad lanienam duntaxat ſeruantur, cùm adeò ſalutiferas herbas non depaſcantur, vti quæ in montanis degunt. Eadem planè eſt ratio in Occidentali India; nam quæ in montanis Peru vitam agunt, ſelectiores & legitimos lapides, & ad medicamenta vtiles habent: quæ verò in campeſtribus paſcuntur, Malacenſibus ſimiles ſunt, quæ ſimul incedunt & viuunt vti greges, qui ad lanienam ſeruantur, ex iis enim multi quidem lapides eximuntur, ſed inutiles, quoniã ſalubres illas herbas montanas non depaſcuntur: hæc Monardis. Hîc mirari ſubit Monardem, cùm is fateatur ſe omnia ea, quæ lapidem Peruuianum concernunt, ex epiſtola Petri de Oſma cognouiſſe, hicq; omnes quidem vtiles, ſed iis viribus non pollentes aſſerat: Monardis verò, improbos eſſe, nec vlla Medica facultate præditos pronunciet.

Sed Ioſephum Acoſtam hac de re etiam audiamus. Lapides qui in Guanacis ſiue Verueci bus eius regionis, & Pachis inueniuntur, plerunque minores ſunt & nigricantes, nec tanti æſtimantur, nec in vſu Medico probantur. Verùm ex Vicunnis maiores eximuntur, qui cineritii *b*, aut albi aut obſcurè virentes, hiq; optimi cenſentur. Attamẽ qui ex Taraguas excindun tur, omniũ præſtantiſsimi habentur, inter quos ſatis magni etiam reperiũtur, & cõmuniter *c* albi ad

bi ad cinereum vergentes:horum laminæ communiter craſsiores & denſiores,quàm aliorum: hi autem pariter in maribus ac femellis reperiuntur: verùm omnia animalia,apud quæ hi lapides generantur,ruminant,& plerunque inter niues & in rupibus ſua paſcua habent. Atquè ſic Peruanos omnes, quicunque illi fuerint, Orientalibus poſtpoſuit, ita eos qui ex noua Hiſpania deferuntur,Peruanis in opere debiliores eſſe conſtituit. Hoc addito,lapidem quemcunq; Bezaar efficaciorem eſſe in Hiſpaniis, quàm in regionibus Peruuianis.


LAPIS BEZAAR OCCIDENTALIS.

Præterea differũt plurimùm inter ſe,vt idem teſtatur (& quotidie in Pharmacopoliis notare



poſſumus) magnitudine,formâ & colore:quippe quòd aliqui ſolùm auellanæ magnitudine & adhuc minores: aliqui nucis quantitate: alii oui columbini inſtar: alii etiam ouũ gallinæ æquẽt: teſtatur ſe aliquos mali arantii magnitudine vidiſſe. Addit inſuper, ex quo lapides hi in pretio eſſe cœperint, Indos arte conficere cœpiſſe: hinc multos, quando lapides hos ſolito maiores vident,

falſos





falſos exiſtimare: licet magni & ii quidem præſtantiſsimi reperiantur; & contrà parui, qui tamen falſi ſint: verùm genuinos cognoſcendi, ipſam experientiam optimam magiſtram eſſe.

Carolus Cluſius in ſuis ad Monardem notis, ſcribit, ſe ternos eiuſmodi lapides habuiſſe munere Generoſi Dn. Franciſci Drake, oui ferè paſſerini magnitudine, qui dimidiá circiter drachmam pendebant: ille verò alios adſeruabat, qui binas atque etiam plures drachmas pendebant. Subiungit, ſe apud Ortelium vidiſſe, qui quinque propemodùm drachmas pendebant; & apud Plantinum binos, alterum renis veruecini forma & propemodùm magnitudine, non eum quidem integrum, ſed extrema parte confractū, & laminarum ſitum oſtendentem, atq; in meditullio veluti feſtucæ fragmentum continentem, qui vnciæ vnius cum ſemiſſe, dum integer erat, pondere fuiſſe potuit: alterum compreſſa, qua parte ventriculo adhæſit, forma, ſenſim deinde

inde in tuber aſſurgente à multis etiam laminis ſeu tunicis, cùm craſsioribus, tùm tenuioribus contextum, duas vncias cum drachmis duabus & ſemiſſe pendentem. Dn. Ludouicus Perezius vnum columellæ, duas vncias aut amplius longæ forma, vncialis cũ ſemiſſe aut maioris ponderis: quo longè maiorem priùs acceperat, gallinacei, vt referebant, oui magnitudine.

Et Baccius refert, ex India Occidentali, & montibus Peruuiæ hodie Orientalibus non abſimiles adferri, cùm iis in locis Capriceruorum magna ſit copia, ex quibus hic lapis per incolas eruitur: & addit: quamuis dubium ſit, an ex Oriente alii præter adulterinos adferantur: certum tamen eſſe quod Occidentales ex pręd ictis animalibus excindantur: quorum quidam paruam nucem, alii amygdalarum oſſa, vel fabam magnitudine ſua referant, pro maiori, vel minori ipſorum augmento.

d Forma quoque variant, alii rotundi, alii ouali, alii lentis forma, & plurium aliarum formarum. Quare Cluſius loco citato, eorum forma nunc orbicularis, modò compreſſa aliquantulum, vel inæqualis, modò renis formam exprimens.

Colore quoque differunt, Ioſepho Acoſta auctore: reperiuntur nigri, albi, cinerei, atrouirentes, alii ac ſi deaurati eſſent: & Cluſio color nunc nigricans, nunc ſubcinereus, interdum flaueſcens. Vt plurimum, ait Baccius, exterius ſcabri ſunt cũ colore viridi, qui in fuſco rufeſcit, quaſi

partim

partim ſanguine,partim humore ab animali relicto, tincti eſſent: minus tamen maturi,cinerei ſunt: & Boëtio *e*,Occidentales ſubcinereum habent colorem, neq; ita vt Orientales ſplendent, cruſtas enim habent,craſsiores & gypſeas. Verùm ſiue ad colorem, ſiue ad figuram reſpiciamus, de bonitate aut ſubtilitate lapidis, iudiciū ferri non poteſt.

Quos ego vidi Occidentales, maiori ex parte ſunt coloris cinericei, cum nigrore aliquo admixto, quia materia horum albidior eſt, & minus à calore elaborata, idq; propter animalium calorem minorem ; regionis frigidioris cauſa. Sic etiam communiter Occidentales, qui albicant maiores ſunt & ſubſtantiæ minus compactæ,quàm in Orientalibus obſeruetur: qua de re plenius ſuprà in Orientalis lapidis differentiis,à colore deſumptis,egimus.

Quoad ſaporem, proprium nullum habet; quod ipſum etiam Rhaſis Arabs tradit.

a cap. 34. *b* Sylnaticus legit flauos, albos, cinericeos. *c* Syluat. legit maiori ex parte albi, flaueſcentes. *d* Ioſeph. Acoſta lib. 4. hiſt. Indiæ cap. 43. *e* lib. 2. de lapid. cap. 194.

DE LAPIDIS FACVLTATIBVS, QVANTITATE ET vtendi modo.

CAPVT L.

DE facultate huius lapidis ſic Baccius: non deſunt, qui dubitent, vtrum hi lapides eaſdem facultates cum Orientalibus obtineant;

tineant, quæ ab Arabum ſcriptoribus illis aſsignatæ fuere: quibus reſpondet, Orientales reuera in hoc genere bonitate reliquos excellere, eò quòd in fronte aſpectum Solis Orientis obtineant, qui rebus maiorem vigorem & virtutem infundit, reſpectu Occidentalium, qui reſolutis per calorem diei partibus ſubtilioribus, & alimentalibus, vapores aduſtiores, minusque efficaces accipiunt.

Sic Ioſephi Acoſtæ *a* de lapidibus Bezaar iudicium tale eſt: quod inter hos ii, qui ex India Orientali oliuæ colore adferuntur, primas teneant: ſecundum ii, qui ex Peru: tertium, qui ex noua Hiſpania adferuntur. Et Saxonia *b*, eos qui ex Indiis Occidentalibus adferuntur, coloris cinerulenti, & Orientalibus multo viliores eſſe, ſcribit. Sic Gallus *c*, reperitur etiam, & quidem frequentius lapis iſte quaſi colore cinericeo infectus, quem Occidentalem pleriq; autumant: ac licet non omnino ſpernendus ſit, multum tamen virtute ab Orientali diſtare cognouimus.

De qualitate huius lapidis, Baccius cenſuit, temperatis qualitatibus pollere, minimeq; aliorum lapidum & antidotorum more exſiccare, quare hoc remedio ſecurè & citra damnum aliquod nos vti poſſe. Quem tamen aluum potiùs mouere, quàm ſudores, ſunt qui obſeruarunt, Syluatico *d* admonente. At Monardes teſtatur, etiam hunc qui in Peru reperiatur, viribus Orientalibus nequaquàm inferiorem eſſe: quem ſequitur Salmuth *e*, tota Petri de Oſma epiſtola

adpositâ: quemadmodum & Wittichius in suo tractatu Germanico.

Dosin subiungamus: Aluarus Torres, Baccio referente, grana septem cum vino febre absente, at ea præsente, cum aquæ acetosæ vncia vna exhibet. At Saxonia l. cit. duplum ponderis respectu Orientalis præbendum, ex aliorum sententia tradit, qui admodum inefficaces sint: addens, quando ex Occidentalibus probus reperietur, grana sex vel octo exhibenda esse. Verùm Syluaticus, Peruani tanquã imbecillioris, paulò plus quàm Orientalis, qui valentior sit, exhibere iubet: Orientalis verò septem, decem & duodecim grana offerri posse asserit.

a in hist. Ind. lib. 4. *b* de feb. pestil. cap. 37. *c* de feb. pest. tr. 1. cap. 29. *d* controu. 93. *e* in notis in Pancirollum.

QVIBVS IN MORBIS huius vsus esse possit.

CAPVT LI.

Consultum ducimus de huius lapidis viribus Monardem *a* audire, cùm nullus quod equidem sciam, huius medicamenti facultates eximius laudarit, idq; historiis multis allatis, quibus ostendit plerosque etiam potentisimos viros à peste & morbis pestiferis ac difficilimis, venenisq; liberatos fuisse, quas etiã suprà in lapide Orientali adduximus: nunc verò quæ de Occidentali prædicet, audiamus. Si insignes istius Peruani lapidis facultates, omnesque

mnesque morbos quos curaſſe aſſerunt, qui ex ea regione redeunt, hîc enarrare vellẽ, magnus liber de eo ſcribẽdus foret. Quapropter ea duntaxat proferã, quæ ipſe ſum expertus vt iis maior fides adhibeatur,& intrepidè lapide vti queant,quandoquidem experientia conſtet ſimiles facultates poſsidere.

Noſter igitur lapis Bezaar Occidentalis inſignes facultates obtinet, præſertim in cordis ægritudinibus, in quibus magnam, eorum qui mihi miſsi fuêre, partẽ inſumſi feliciſsimo ſucceſſu: ſic vt multi Syncope laborantes, ea ſublata,à morte liberati ſint: propinari autem debet in ipſo paroxyſmo,aut paulò ante, manè ieiuno ventriculo ex aqua roſacea, ſi febris adſit: ſi abſit,ex aqua florum mali aureæ, in puluerem tritus, ad pondus quatuor granorum ſingulis vicibus: obſeruaui autem, in mulieribus præſentius adferre remedium, quàm in viris.

Venena) In omnis generis venenis, nullum præſtantius nouimus remedium: quoniam eos, qui aut venenum hauſerunt,aut à virulentis inſectis præmorſi fuerant, mirum in modum iuuit. Qui aquæ ſtagnantis potu,in qua virulenta animalia verſantur, illicò intumuere, ſumpto iſto lapide bis aut ter,ſanatos conſpexi. Sic Ioſephus Acoſta huius lapidis vim principem eſſe, vt venenis & morbis venenoſis aduerſetur, ex Indorum opinione pronunciauit.

Febres peſtilentiales) in peſtilentibus febribus ſæpius exhibui, & ſanè earum virus extin-

xit: cuius rei primariam in ſimilibus morbis curam Medicus habere debet: nam licet putrefactio prohibeatur, niſi extinguatur virus, inutilis erit cura: nam illud eſt, quod hominem iugulat. Similiter ſi adſint carnis cum rubore eminentiæ, quas Hiſpani Tauardete appellant, quę plerunque huiuſmodi febres comitari ſolent, Lapis Bezaar Peruanus maximam vim poſsidet: nam in ſimilibus morbis maiorem eorum quos accepi partem abſumpſi, plurimiq; felici & miro ſucceſſu curati ſunt. Vel, vt Acoſta, in morbo illo epidemico auxilii plurimum tulit in Hiſpania & Italia, non verò ſimiliter in Peru.

Febris quartana) Quartana laborantibus dedi, & licet febrim non tollat, eius tamen auffert ſymptomata, animi mœrores, anxietates, & cordis affectus, quę in iſtis febrib. vulgaria ſunt, magnamque ex eius vſu vtilitatem ſenſerunt.

Melancholici humores) Miros autẽ effectus præbet in melancholicis humoribus, ſiue vniuerſum corpus, ſiue eius duntaxat partem, vti caput, occupent: atque in Arabum Lepra, ſiue Græcorum elephantiaſi: item in ſcabie, prurigine, eryſipelate, & reliquis cutis vitiis præſens adfert remedium, quoniam ad ea ſananda peculiarem facultatem habet.

Morbi diuturni) In omnibus diuturnis & importunis morbis, magno ſucceſſu exhibere ſoleo, præſertim in quibus veneni ſuſpicio eſt, aut flatus adſunt: nam in ſimilibus peculiarem vim habet: hinc fit, vt plurimum conducat, eius ali-

aliquot grana purgantibus medicamentis inii-
cere:quoniam si medicamentum simplicia quę-
dam venenosa continet, ea corrigit: sin minus,
corroborat, & faciliorem deiectionem molitur.

Lumbrici) Aduersùs lumbricos & ventris
tineas, felici successu propinatur hic lapis: eum
multis exhibui, præsertim pueris & adolescen-
tibus eo morbo affectis,& vix credibile est,quá-
tum profuerit: solũ dare soleo,vel cum sequenti
puluere mixtum,hac ratione.

℞. Herbæ lumbricorum,drachmas duas: se-
minis Santonici drachmã vnam, cornu ceruini
vsti, sem. portulacæ & carlinæ, singulorũ dimi-
diam drachmam: lapidis Bezaar Peruani dimi-
diam drachmã: reducátur omnia in tenuissimũ
puluerem, & probè misceantur. Miras faculta-
tes obtinet iste puluis,& experimento compro-
batum est, multis profuisse: datur mane ieiuno
ventriculo ea quantitate, quæ Medico commo-
da videtur,pro eius ætate, qui sumere debet: eo
sumpto, duabus horis pòst aluus clystere confe-
cto ex lactę & saccharo elui debet.

Epilepsia) Infantibus epilepticis datur lapis
cum lacte,si adhuc lactent: sin minùs, sine lacte:
in natu maioribus Epilepsia laborantibus etiam
cum magna vtilitate exhibetur, per se, aut aliis
rebus ad eum morbum accõmodis,admixtus.

Breuiter hoc lapide vti solemus, in omnibus
diuturnis & difficilibus morbis, in quibus me-
dicamenta vulgaria nihil profuere, eoq; magna
cum vtilitate, aut saltem sine noxa. Hactenus
Monardes.

Summatim de huius viribus Petrus de Oſma ſic ſcripſit *b*. Ego qua potui diligentia ab Indis amicis de horum lapidum facultatibus inquirens, intrò ſumptos, aut foris impoſitos, mirificè venenis aut toxicis reſiſtere intellexi: cordis affectibus auxiliari: tineas ventris expellere: & eorum puluerem vulneribus ſagittarum toxico illitarum vtiliſsimè inſpergi. In ſumma, hunc lapidem Alexipharmacum eſſe, pernicioſiſsimi illius toxici, quo ſagittas ſuas illinunt, ad ſeſe mutuò conficiendos, atq; etiam nos Hiſpanos, quorum plerique poſt vehementes cruciatus & furores mortui ſunt, nullũ auxilium inuenientes: tametſi in ſublimato vulneribus inſperſo nonnulli leuamen ſenſerint: verùm ſi toxico recenti illitæ ſagittæ ſint, præſentaneam perniciem adferunt, nec ſublimatum prodeſt.

Cœpimus iis vti eo ordine, quem in tuo libro docuiſti, & aduersùs eoſdem etiam morbos, in quibus ſanandis mirabiles eorum effectus experti ſumus, quos longum eſſet recenſere: quæ omnia tibi accepta referre debent, non modò Hiſpani, ſed etiam vniuerſus orbis. Hæc Petrus de Oſma in epiſtola è Lima in Peru 26. Decembris anno 1568. ad Nicolaum Monardem ſcripta.

Exhibetur autem tritus aut læuigatus cum liquore aliquo, vel vino, vel aceto, vel aqua ſtillaticia boraginis, bugloſſæ, aliáve, prout morbi natura poſtulat, & Medico viſum eſt.

a in hiſtor. medicament. ſimplic. ex India Occidental. cap.

cap. 34. *b* Syluaticus hæc quoque pag. 91. lib. de bezoar refert.

DE LAPIDE BEZAAR ex Hiſpania noua.

CAPVT LII.

CVm dictum fuerit de Lapide Bezaar tam Orientali quàm Occidentali, nunc de eo qui ex Hiſpania noua adfertur, paucisſimis. In noua Hiſpania lapis hic quoque reperitur, etiamſi in ea regione, nec Vicugnes, nec Pacos, nec Taragues, nec Guanacos habeantur, ſed ſolùm cerui in quorum aliquibus, Ioſepho Acoſta *a* monente, lapis hic reperitur. Verùm quemadmodum ipſe *b* Peruanos omnes, Orientalibus poſtpoſuit, ita eos qui ex noua Hiſpania deferruntur, Peruuianis in opere debiliores conſtituit: ſicque locum tertium tribuit.

CONCLVSIO.

Hæc ſunt, Lector candide, quæ Trinuno Deo adiuuante, de Lapide Bezaar, partim ex variis & plurib. auctoribus fideliter & collecta & methodicè diſpoſita, partim ex propria experientia & obſeruatione, in medium adferre volui, quo Medici in eius & electione & adminiſtratione, prudentia ſumma, ſummaque cautione vtantur, ne vel in eo vitæ ægrotantium, eorundemque facultatum, damnum vtantur. Et cum Syluatico rogamus, ne authoritatem magnatum qui lapides hos poſsident, tanti faciant, vt

vel in eorum præſtantia & authoritate exploranda minus ſint diligentes, vel etiam perniciofos reprobare non vereantur. Verè enim pbos, modò tales reperiantur, nunquam improbabimus. Adulationis genus hoc peſsimum eſt, qua in arte nobiliſsima nihil nocentius, nihílve magis indignum eſſe poteſt: vno enim hoc conſilio & qui lapides poſsident & qui iis vtuntur, ſub Medici fide, grauiſsimè & falluntur & læduntur. Caueant rogamus, ne lapides à mercatoribus oblatos, priuſquam diligenter eos probarint, amicitiæ cauſa, oſcitantius cõmendent. Quod ſi aliqui in lapide tanti momenti iudicando negligentiores fuerint, haud dubiè ſępius lapides adulteratos probabunt, & veros damnabunt. Quos verò in his lapidibus commendandis dubios eſſe continget, eos monemus, vt in eorum commendatione cõſcientiam ſuam non fallant, ſed potius liberè & candidè fateantur, ſe dubitare, ſeque nihil certi determinare poſſe. Hęc eſt illa ingenuitas, quam Dux noſter & anteſignanus Galenus, Medico rationali dignam eſſe iudicauit: nos verò Medico Chriſtiano digniorem eſſe dicimus. Nam ſi omnia diligenter conferantur, apparebit liquidò, quàm iſti non vniuerſi tantùm inter ſe, ſed ſinguli etiam ſecum reipſa diſsideant. Rectè ergo Mindererus [a] ſuadet, ne quis oportunum medicationis tempus negligat, & his confiſus, probata ac vſus experimento teſtata remedia quaſi poſthabita ſeponat.

a lib.

a lib. 4. hist. Indiæ cap. 42. b Eadem Syluaticus pag. 95. allegat. c lib. de peste pag. 202.

FINIS.

SOLI DEO GLORIA.

APPENDIX.

Lapidis Bezaaris naturalis historiâ ad finẽ perductâ: quod nobis solum propositum erat, nonnulla de Bezoardico artificiali (ne fortè sint qui nos hæc ignorare existiment) adspergenda supersunt.

Artifices Bezoaris nomen, remediis nonnullis arte confectis imponunt: quæ autem hoc nomine donantur, vt plurimum ratione vel essentialium, vel accidentalium quorundam variant: essentialium, vel respectu formæ, vel materiæ. Ratione formæ, aut externæ, hinc Aquæ bezoardicæ, quæ trito nomine Theriacales vocitantur: vel internæ, hinc prostat Sulphur illud Bezoardicum apud Quercetanum *a*: partim etiam Sales theriacales vel Bezoardici in hanc classem referuntur. Vel materiæ (quæ Magisteriorum Bezoardicorum hoc solo nomine nunc vtamur, multorum aliorum, quibus vtuntur, non ignari) ratione differunt, cùm materiam

ſuam à viuentibus animalibus, puta ſerpentibus, vel viperis, quod Bezoardicũ animale: vel à mineralibus ſiue metallicis, quod Bezoardicum metallicũ ſiue minerale dicitur, mutuentur: de vtroque paucisſimis.

DE BEZOARDICO Animalis.

PRimum, quod Bezoardicum animale vocant, ex Serpentibus ſeu Colubris vulgaribus, vel Viperis conficiunt, ad aliquam imitationem veterum, qui è Viperis ſimilia medicamenta confecere: cuiuſmodi fuere apud antiquos Sales theriacales, vt apud Galenum *b*, Æginetam *c* & Aëtium *d* videre eſt. Verùm cùm huius medicamenti, quod Bezoardicum animale vocant, deſcriptiones variæ habeantur, duas tantùm, & quidem ex Sennerto *e*, adponemus.

I. Recipe Serpentem, excoriato mox, exime linguam, cor, hepar: abſcinde caudam & caput: carnem in olla noua coque, donec caro à vertebris ſeparari posſit. Spina torreatur & pulueriſetur: torreatur ſimiliter & cor, hepar, lingua, contundantur, & cum puluere ſpinæ miſceantur: fiat puluis. Nonnulli adhuc in patella ænea ſuper igne amplius torrent, continuo agitando, donec colorem fuſcum acquirat: fit inde doſis vna quæ propè eſt drachmæ vnius.

Ab hac præparatione parum variat, Serpentum, præcipuè Viperarum Alcohol, cuius præparationem Crollius *f* sic proposuit. Post excoriationem, intestina, caput & cauda auferuntur (pinguedo ab intestinis separata seorsim pro singulari Ophthalmico asseruatur) reliqua caro elota, cum corde & iecore, post lentam exsiccationem siue per se, siue in Balneo Mariæ, in Alcohol redigatur: puluis hic in vsu Medico intus præsumptus, Venenum ad cutim propellit, tanquam Theamedes lapis, qui ferrum longè à se expellit. Idem asserit, contra omnia Venena remedium esse tam θεραπευτικὸν quàm προφυλακτικὸν: & hoc medicamento magna pecunia à quibusdam empto, cum fiducia vti licere, nec quisquam Medicorum eius vsu famam vnquam periclitasse. Dosin esse à drachma semis ad drachmam vnam, in haustu Vini Maluatici, vel iusculo vini generosi.

II. Alii aliter parant. Recipiunt Serpentes quinque vel sex viuos, coniiciunt in ollam vitreatam, quam operculo tegunt, quod in medio foramen habet: torreantur ad ignem carbonum lentum, vt omnis pinguedo & humiditas separetur atque absumatur, nihil tamen comburatur: postea in puluerem redigantur. Pulueris huius Recipe vncias duas, radic. Valerianæ, Angelicæ, Pimpinellæ, Rutæ, ana vnciam vnam; Sacchari candi albissimi, vnciam vnam: fiat puluis, cuius dosis scrupulus semis.

Hi pulueres hodie apud plurimos in frequenti vſu contra venena habentur: & vt rectè Döringus *g*, nonnulli parem ſecuritatem ac Mithridatio tribuunt, verùm ad certum tempus. Nouimus qui pro indubio contra peſtem præſeruatiuo & curatiuo prædicarunt, magnoque pretio vendiderunt, quorum tamen aliqui, cùm ante 13. annos apud nos peſtis ſæuiret, ablatis hominum circiter millibus quatuor, peſte correpti, tandem opem noſtram implorarunt. Quare rectè Sennertus, neminem temerè his confidere vult, niſi eorũ efficaciam experientiis comprobatam ſciat: quod factu, ait, difficile. Nam quæ in brutis fiunt experientiæ, ſæpè fallaces: cùm quæ homini ſunt venena, non omnia aliis animalibus venena ſunt.

Magiſterii Bezoardici animalis, Quercetanus *h* etiam meminit, quod ex puluere Viperarum extrahatur, idque opera eiuſdem menſtrui, ſiue ſulphuris, aut ignis naturæ: quo chimicè calcinantur & ſoluuntur enarratæ viperæ, quæ iam in terræ latibulis à ſola balſamica illa virtute, eiuſdem ſalis & ignis naturæ, ſummam Alexiterii vim acquiſiuerunt. Ope enim horum ſpirituum balſamicorum prædicti ignis, naturæ viperinæ carnis virtus alexiterica & bezoardica, in infinitam virium poteſtatẽ excreſcit. Vnde etiam baſis principalis locus in Theriaca cœleſti Quercetani, quæ ſeptem Magiſteria recipit, & inter cætera Magiſterium Bezoardici animalis, & Magiſterium Bezoardici mineralis.

Hacte-

Hactenus de Bezoardico animalis, nunc paucis quoque de Bezoartico metallico siue minerali, ex Quercetano & Sennerto.

DE BEZOARDICO METALLICO SIUE MINERALI.

HAbentur & Bezoardica mineralia, quæ à mineralibus, & vi Alexipharmaca quam possidere dicuntur, nomen sortiuntur, vt est Antimonium diaphoreticum, quod aliis Antimonium vitæ, Essentia antimonii, Mercurius vitæ, generis nomine Bezoardicum minerale: apud Quercetanum *i* dici posset spuma vel remedium è spuma duorum draconum natum: est & Bezoar metallicum fixum.

Bezoardicum autem minerale, quod alii Antimonium diaphoreticum nominant, hunc in modum, Sennerto *k* monente, conficitur: Recipe Mercurii sublimati cum vitriolo & Salis (vel nitri, vel ammoniaci, vel petræ) ana libr. vnam, Antimonii libr. tres (alii sumunt partes æquales) terantur inuicem, & destillentur per retortam vitream in arena. Liquor seu oleum butyri instar, semel rectificetur: huic oleo guttatim spiritus vitrioli aliquid affundatur: exempli gratia, vnciæ quatuor (alii etiam Aquam regis infundunt) Aqua per alembicum destilletur, aquæ destillatæ addatur Aquæ vitrioli recentis vncia vna, atque iterum præcipitato affundatur, idque tertia vice repetatur.

Præ-

Præcipitatus hic poſtea teritur, abluitur & ignitur. Verùm alii etiam Solem addunt: ſumunt exempli gratia ad libram ſemis, Solis ſiue auri, vnciam ſemis, in aqua regis ſiue forti prius ſeorſim ſoluti, atque priori ſolutioni affundunt. Aquam omnem ſpacio duorum dierum abſtrahunt, vltimo ignem augent, vt cucurbita parte inferiore incandeſcat. Quod ſublimatum fuerit, abiicitur: reliquum ſubflauum & nullius ferè ſaporis eſt, in crucibulo per dimidiam horã igniatur. Sunt qui oleo ex Antimonio, & ſublimati Mercurii æqualibus partibus deſtillato, affundunt aquam calidã & puluerem præcipitatum ablutum & exſiccatum ad vſum ſeruant, & vti dictum, aliqui Mercurium vitæ, alii eſſentiam Antimonii nominant. Verùm vix (addit Sennertus) ob magnam vehementiam eius vſus tutus eſt, cùm vltra granum vnum exhiberi vix poſsit.

Balſamum Bezoardicum denique, qui volet apud Libauium *l* legat, quod ex herbis, radicibus, aromatibus, gummatibus, magnis opiatis & oleis ſimul ex arte deſtillatis, conficitur.

Sed hîc ſubſiſtamus, ſedulò iuuenes propter conſcientiam admonentes, imò propter ſuorum ægrorum ſanitatem rogantes, ne temerè Bezoardica metallica intra corpus exhibeant, ſed potius blandioribus & naturæ humanæ conue-

conuenientioribus, quibus DEI gratia non caremus, vtantur.

a in pharmacia restit. *b* 11. simpl. medicam. in initio. *c* lib.7.cap.11. *d* tetrab.4. serm.1. cap.97. *e* in Institut.medic. lib.5. par.3. sect.3. cap.14. *f* in sua Basilica. *g* lib. de medicina, sect.5. clas. 3. cap.6. *h* in sua pharmac. restitut. cap 32. *i* in pharmac. restit. cap. 23. vbi Bezoardici mineralis proprietates & eiusdem descriptionem metaphoricam proponit, quemadmodum de Bezoare metallico quod præstantissimum contra pestem & venena sudorificum statuit, cap.8. k instit.medic.lib. 5. par.3. cap.18. *l* lib.2. Alchimiæ tract.2.cap.17. quod est de oleis & balsamis compositis.

FINIS.

[E]X FRANCISCI PONÆ MED. PHYS. VERONENSIS TRACTATV CVI TITVLVS

[A]NTIDOTVS BEZAARTICA aduerſus omnia venena.

ANTIDOTI BEZAARTICI noſtri formula.

[R]Ecipe Lapid. Bezaar Orient. legitimi
Pauonii ſeu Thaos
Malacenſis ex felle hyſtricis
Vnicornu legitimi an. drach. ſemis.
Margaritarum Orient. præpar. drachm. quinque.
Et hæ multiplicenter deficiente Thaos & lapide Malacenſi pondere illorum.
Foliorum auri num. quinquaginta.
Terræ ſigillatæ legitimæ
Boli armeni lutei Orient.
Corall. rub. præparati
Smaragdi præparati an. drach. duas.
Scorzoneræ Hiſpan. veræ drach. ſex.
Tormentillæ mundæ recentis
Anthoræ
Biſtortæ
Pentaphylli

EX FRANCISCI PONÆ MED. PHYS. VERONENSIS TRACTATV CVI TITVLVS

ANTIDOTVS BEZAARTICA aduersus omnia venena.

ANTIDOTI BEZAARTICI nostri formula.

Recipe Lapid. Bezaar Orient. legitimi
Pauonii seu Thaos
Malacensis ex felle hystricis
Vnicornu legitimi an. drach. semis.
Margaritarum Orient. præpar. drachm. quinque.
Et hæ multiplicenter deficiente
Thaos & lapide Malacensi
pondere illorum.
Foliorum auri num. quinquaginta.
Terræ sigillatæ legitimæ
Boli armeni lutei Orient.
Corall. rub. præparati
Smaragdi præparati an. drach. duas.
Scorzoneræ Hispan. veræ drach. sex.
Tormentillæ mundæ recentis
Anthoræ
Bistortæ
Pentaphylli

Contra Hierua
Angelicæ
Pimpinellæ
Eringii an. drach. duas.
Cort. Citri matur.
Fl. Citri nondum exſolutorum in vmbra exſiccat.
Sem. citri rec. præp. an. drach. duas ſemis.
Baccarum Lauri
Iuniperi an. drach. tres.
Cardui benedicti
Dictamni Cretici
Calamintæ montanæ
Rutæ
Scordii veri Cretenſis an. drach. ſemis.
Agallochi legitimi
Zedoariæ
Galangæ minoris
Cinamomi electi
Caryophyll. ſelectorum
Croci Corycii an. ſcrupul. duos.
Sem. ocymi caryophyl.
Amomi veri
Rutæ an. drach. duas.
Hypericonis
Altheæ an. drachm. tres.
Opobalſami legitimi
Theriacæ Andromachi rec.
Mithridatii
Elect. Alkermes
de Hyacintho an. vnciam ſemis.

Mel-

Mellis Attici deſpum. lib.duas vnc.tres.
Miſce, fiat electuarium ſecundùm artem.

Hæc eſt BEZAARTICA Antidotus, à me diuturnis cogitationibus concinnata, & rationi non minus conſona, quàm experimentis euidentibus comprobata: & qua nulli locũ ad præſtantiorem excogitandã relictum eſſe autumo.

Ex prædictorum ergo miſtione, reſultat Bezaarticum noſtrum, temperamenti calidi in principio ſecundi gradus, ſicci in ſecunda manſione primi. Quod vt opportunè ſumatur, conſideranda eſt ætas, cœli temperies, ratio cur ſumatur. Quotieſcunque igitur aderit præſentia indicantis, ſcilicet vel aſſumptio, vel ſuſpicio aſſumpti veneni, ſtatim tanquam ad ſacram anchoram, erit ad hoc, maxima cum fiducia confugiendum. Quod ſi veneni fuerit ignota natura, tunc ex Aqua Scorzoneræ Hiſpanicæ & decoctione ſeminum Altheæ ad æquas partes erit ſumendum drachmæ pondere: ſin minus adſint Aquæ cordiales, vel talis decoctio, hauriatur ſiue ex iure tepido, ſiue ex vino diluto, ſiue ex aqua communi tepida, ea hora qua opus fuerit. Si autem veneni genus liqueat, tunc aduerſus corrodentia, ex Amygdalino recenti, vel ex decoctione ſeminis lini, radicum altheæ, foliorum maluarum, vel pariter ex iure pingui: quod ſi vomitus Bezaartici aſſumptionem præceſſerit, vtilius erit. Si venenum fuerit corruptiuum, ex aliqua præſertim planta venefica, tùm ex aqua prædicta Scorzoneræ, vel

Cardui benedicti, vel ex vino albo diluto. Si narcoticum fuerit, quemadmodum Cicuta, Opium, Mandragora, ſumatur ex vino generoſo vſque ad drachmam vnam, quæ eſt ſumma doſis. Si venenum fuerit ab animali, vel morſu, vel punctura illatum, ſtatim ſumatur ex aqua Scorzoneræ, vel diluto vino ad ſcrupulos duos, & parti ſauciatæ, duobus digitis ſupra ictum, apponatur faſciola, hoc delibuta, modico aceti addito: hoc modo ſi admoueatur remedium, tunc prohibetur ad cor aſcendere venenata facultas. Æſtate doſis erit minor, diebus præcipuè canicularibus, & in gracilibus habitu, maximè ſi febris inſignis adſit, tunc enim ad ſcrupulum vnum, vel drachmam ſemis ſufficiet ex aqua Scabioſæ, Acetoſæ, Meliſſæ, florum Citri: ratione enim calidi temporis, facilius penetrat & agit: infantibus, ſcrupulo, vel granis ſeptem exhibeatur. Expediet arterias quoque & tempora inungere: maximè ſi venenum caput ſymptomatibus petere videatur: & hoc præſertim veneno frigido.

A venenorum inſidiis nos tueri, & opportunè cuſtodire poterimus, ſi tertio quoq; die ſcrupulus vnus accipiatur, vel in exiguo bolo inaurato, vel diſſolutum in aquis cordialibus: ſic enim à quolibet veneno, tutum euaſurum hominem pollicemur. Et his qui hac ratione vtentur, retardabitur ſenium, oculorum acies validior fiet: nerui ad munia obeunda vegetiores: ventriculus roborabitur: ingenium lucidius fiet,

fiet, ſpiritus illuſtriores: præſtantior denique corporis habitudo & hilarior ſanitas.

Dolores præterea capitis, à cauſa præſertim frigida, mirificè ſedat: & vertiginoſis (quemadmodum ego in me ipſo expertus ſum) ſingulare eſt remedium. Cordis palpitationi, haud quicquam accommodatius. Appetitum conciliat: in febribus mali moris mirificè prodeſt, ex violato ſaccharo, vel conſerua ex acido citri. Nephritidi, vnicum eſt præſidium: vrinas enim mouet & pellit calculum, ſi ſumatur ex aquis accommodatis. Menſtrua citiſsimè prouocat, & retentas ſecundas trudit: neque minus partum facilitat. Hiſtericis paſsionibus, nihil ocyus præſidio eſt: Lienis vitia corrigit: quartanariis confert. Contra peſtis iniurias efficaciſſimum, ſi quid aliud. Puerorum enecat vermes, & à rheumatiſmo præſeruat. Aliis quoque præpollet viribus, quemadmodum quotidiano euentu & experimento patebit.

DE LAPIDE PAVONIO SIVE THAOS.

EST & alius lapis, Pauonius dictus, ſeu Thaos, & ipſe rariſsimus, pauciſque cognitus: ſubſtantia ſatis dura, in atro cinereus, quibuſdam ſphærulis, velut oculis, inter ſe magnitudine differentibus diſtinctus, hiſque flauo centro & Iride ſubcærulea: quare Pauonis caudam videtur quodammodo oculorum æmulatione re-

præſentare. Aſpidi interim non abſimilis: croceus enim & niger, quemadmodum & Aſpis & lapis iſte, quẽ Plinius Pauoni & Aſpidi ſimilem facit lib.37.cap.11. Talis ad vnguem reperitur in Muſæo noſtro, rudi quodam & vetuſto ornamento ſuſpenſus. Nucis iuglandis ferè magnitudine: & huiuſmodi lapidem pariter vidiſſe in Gazis Sereniſsimi magni Ducis, affirmauit mihi Excellentiſs. Bartoletus. Alium verò pro Pauonio lapide, olim Ferdinando Hetruriæ Duci magno, delatum fuiſſe, oui columbini magnitudine, motu variantem aſpectum & colores, ab Indo quodam, cui multo auro repenſus fuit, mihi literis ſignificabat Reuer. Pater Zanobius Bocchius, Sereniſsimi Mantuæ Ducis Botanicus, &c. Illum tamen fuiſſe præclarum & legitimum Opalen, quorundam fuit opinio, & potiſsimum excell. Mercurialis, qui tunc aderat. Pauo igitur lapis, & qui ex Malaca ex Hyſtricis felle defertur, rariſsimi ſunt, quare eorum ſuccedanea erunt in Antidoto noſtra, Vniones orientales præparati, ad eorum pondus: in cæteris abſolutum cupimus, neque quidquam ſubſtituendum concedimus.

Hactenus Pona.

IN-

INDEX.

ALBEZAHAR 5. quid 6.11. mineralis 27
Alcheron lapis 23
Alexipharmacum quid 6. 8. commune 43. Galeno incognitum 54
Alexipharmaca duplicis naturæ sunt 174. cur sanis obsint 176.177
Alexiterium quid 7.8. an vnum contra omnia venena detur 12
Animal vno cornu 100
Animal quale in quo bezaar generetur 97
Animalis forma 98.255. locus nataliti⁹ 102.255. pellis ad cococtionem facit 200
Animalium bezaar habentium differentiæ 97
Animi deliquiis medetur 198. historiæ duæ 224
Apri capti lacrymantur 41
Arsenico bezaar medetur 222. eius historia 240
Aspidis lapis: lingua 18
Aurigo à veneno 55

B

BAlsamum bezoardicũ 286
Baxera arbor 12
Bedazaricæ medicinæ 8
Bedazahar quæ dicãtur 7
Bezar radix venenata 12
Bezard quid 12. Theriaca dicitur 6
Bezaar nomina 5
Bezaar aluminis instar scißilis 27. ceruinum 35. equinum 74. Germanicum 67. metallicus Serapionis 25. minerale Saxoniæ 28
Bezoar triplex 61
Bezoar Latinis incognitus 2. solis Arabibus notus 6. 78
Bezoar omnium venenorũ 11
Bezoar Orientale cur Occidentali præferatur 171. 273
Bezaar in peste parũ confert 212. lætitia affundit 203
Bezaar veneno determinato conuenit 9. venenis omnibus medetur 11. contra venena adpẽditur 219.

non est vniuersale contra omnia venena 221
Bezaaris differentiæ 15. propinandi modus Arabibus 85
Bezoardici animalis 282. metallicum siue minerale 285
Bezoardici animalis magisterium 284
Bolus Armena est Bezoar 9
Bugoldalf animal 17. capra 97
Buffonis lapis 18

C

Calculus humanus omnibus aliis præferendus 116
Cancro vlcerato Bezaar adhibetur 215
Capra syluestris 99
Capriceruus 97.255
Capriceruorũ copia in Peru in quibus Bezaar 271.
Carbunculo pestifero Bezaar confert 212
Cerua Dauidis 40
Ceruæ in ventriculo lapis 62. in vulua 63
Ceruicapra 99.114
Ceruus cornu defodit 52. iuuentutem renouat 39
Cerui ætas 36. cornua vsurpantur 52
Cerui lacryma 32. 33. 45. partes diuersæ in vsu medico 52. 62. serpentes cur deuorent 33.34.35
Cerui in corde lapis 61. in ventriculo 63. qui Bezaari præferendus 62
Cerui vermes habent 37. etiam in capite 38
Ceruis torques appositi 36
Coagula sunt Bezahar 10
Collectio dura Bezaare curatur 215
Conceptum promouens lapis 63
Cordis ægritudinibus Bezaar medetur 275
Cornu animalis Bezaar 100
Cornu cerui, ipsi Bezaar præfertur 250
Crepaudina lapis 19
Cumbi panni species 260
Cutis vitiis Bezaar remedium 276
Cynagrostis 113
Cypris capræ genus 255

in Da-

D

in DAMIS lapis Bezaar 265

Dauid quid velit per ceruum fontem desiderantem 40

Doronicum in pila 68

E

ELephas serpentes extrahit 47

Epilepticis Bezaar prodest 197.277

Exanthematibus Bezaar medetur 213

Experientia in bezaare aliquídne poßit 167

F

FEbris pettechialis 2. cui bezaar prodest 206. eius rei historia 231

Febris malignæ remedium 70. historiæ aliquot 228

Febribus catarrhosis bezaar prodest 205. malignis 205. pestilentialibus 275. putridis 204. quartanis 205.276

in Febribus pestilentialibus bezaar parũ prodest 210

G

GAlbanum, Bezard dicitur 6

Galeno, Alexipharmacum cõmune incognitum 54

Gemmæ Hyeniæ 46

Guanacos 259

Guancum 97

Guanochi 98

H

HAger quid 96

Haber albedengesif ib. albezahar 96

Hager & bezaar idem non sunt 96

Haraczin lapis 23

Hauasca panni species 260

Herba balestera 154

Herba quam bezaar generantia deuorant 264

Hyænæ oculi lapides c. 46

I

ICtero bezaar inseruit 23

Ilama ouis 259

Imagines lapidibus insculptæ 87

Impetigines bezaar curat 214

L

LAc in venenis corrodentibus prodest 241

Lacryma cerui 32. Iobi 119

Laminarũ in bezaari differentiæ 145
Lapis Albezaar 5.12. albezaar animalis 95
Lapis alcheron 23. asininus 74. aspidis 18. balzahar 5. begaar 5 bedezahar 5. bezachar ibid.
Lapis bezoar Arabum 75. ab Arabibus inuentus 2
Lapis bezaar recentiorum 94. eius nomina 95. duplex est 96. quomodo generetur 114.119. quo tempore generetur 120. ex qua materia 109. in qua parte animalis reperiatur 107
Lapis Bezaar verus quibus signis dignoscatur 143. vnde adferatur 104
Lapis bezaar an adulteretur 135. quomodo adulteretur 141. & ex q̃bus 142. falsus corticibus destituitur 146. puluere caret 147. dentes inficit 152
Lapis bezaar quibus morbis conueniat 196. quibus personis 189. quomodo vsurpandus 189. solus sumendus 207. cur solus exhibendus 192. quo tempore 185.188. quamdiu 189
Lapis bezaar senium impedit 194. sudores mouet ibid. sed lethalem 195
Lapis bezaar an sua natura sudorem & aluum moueat 187
Lapis bezaar à sanis etiam sumi potest 181. sanitatem conseruat 193
Lapis bezaar purgantibus additur 194. vomitoriis miscetur 192. inter Cardiaca refertur 199
Lapis hic in magnis morbis vtilis 196. in deploratis 197
Lapis bezaar prodest animi deliquio 198. historiis probatur 224. appetitui prostrato 200. calculo renum 201. choleræ 200. colicæ 201. cordis affectib. 197. dysenteriæ 201. 228. epilepsiæ 197. ictero 200. melancholicis 202. 224. obstructionibus 227. palpitationi 198. partui 202. 228. pleuritidi, peripneu-

pneumoniæ 199. ad secundinas pellendas 202. syncopi 198. ad vermes necandos 201. vertiginosis 197. 228. vteri morbis 201

Lapis bezaar venenis resistit 216.234. non curat nisi venenum sit in corpore 177. vim aliquam deleteriam continet 177. 179. contra venena vomitoriis additur 219. de collo suspenditur ibid.

Lapis bezaar valet contra morsus animalium 215. canis rabidi 242. morsus serpentum 243. contra Napellum 222.236. cōtra sublimatum 222.239.241

Lapis bezaar pesti medetur 209.233. carbunculis pestiferis 212

Lapis hic aduersus exāthemata valet 213. lepram curat 243. luem Vngaricam 212. scabiem malam ibid. scrophulas 215. vlcera ibid. cancrum vlceratum 215. vulnera ibid.

Lapis bezaar an in febribus prosit 204. contra febres malignas 205. 228. non tutus vsus 206. imò tutus 207

Lapis bezaar valet in febri catarrhosa 205. maligna 70.205.228. pestilentiali: putrida 204. pettechiali 206. 231. quartana 205

Lapis bezaar ex Hispania noua 279

Lapis bezaar Occidentalis in quib. animalibus reperiatur 255. in quo loco animalis 262. eius materia & generationis modus 264. laminas quales habeat 266. cur vtplurimū cinericeus 271

Lapis bezaar Occidentalis aluum potius quàm sudores mouet 273. in quib. morbis vtilis occidēt. 274

Lapis bezaar Orientalis p̄fertur 170. & cur 171

Lapis bezaar Peruuianus virib. Orientali cur inferior 273. nō inferior ibid.

Lapidis bezaaris Oriētalis descriptio 123. color 126. 129. forma 124. laminæ 121. magnitudo 129. suspecta

cta 165. materia essentialis 111. scilicet succus herbarum aromaticarũ 113. 116. cauitati puluis inest 174. phaseolus inest 148
Lapidis bezaaris Orientalis dosis varia 178. pondus 130. pretium 133. sapor 129. superficies 125. temperamentum 172. & hoc non manifestum 174. vsus historiis probatur 223. vituperatio 244. 248. quia nõ magnus vsus 121. experimentum in brutis suspectum 165
Lapidis bezaaris Occidentalis differentiæ 267. color, forma 271. facultas 272. qualitas & dosis 274. vsus ibid.
Lapidi bezaar, terra Lemnia præfertur 251. etiã Smaragdus ibid.
Lapides bezaares qui eligendi 155. veri quibus signis cognoscantur 169. ne omnes falsi sint metuendũ 138. ratio additur 139
Lapis bezaar metallicus 25
Lapis boum 23. buffonis 18. eius vsus 19
Lapis bulgolda 17
Lapis ex cerui lacrymis 32. 44. eius descriptio 49. vsus 51. exhibendi modus 55. à quibus cognoscatur 58. vel negetur 59
Lapis in corde cerui 61. in ventriculo 63
Lapis bouis 23. crepaudina 19. draconites 20. in equo 73. Guercz 23. Haraczin 23. hyænæ 46. kemne 35. in vesica fellea 21. 160. Malacensis 21. Massatum 23. Pauonius 293. Paxar 17. porcinus 22. theriacalis 6. thaos 293
Lapis scorpionis imagine signatus 80. 87
Lapides planetarii qui 90. sub aliquo signo sculpti 80. 87
Lepræ bezaar medetur 214. 243
Lithospermum arundinaceum 119
Lithospermo nihil mirabilius ibid
in Lue Vngarica bezaaris vsus 212

Lum-

Lumbricos pellit 201.277
Lutum diuinum 8

M

Magisterium bezoardidicum animalis 284
Mastica de Soho 22
Medicinæ Bezahar vt operētur 174. sanis obsunt 177
Melancholiæ bezaar profuisse historiæ 224.276
Mœstis absque causa vtilis 203.224
Mineralium distinctio 26
Morbis omnibus medetur bezaar 196. deploratis prodest 197. diuturnis succurrit 223.276. externis 214. venenosis 275
Morsibus virulētis bezaar adhibetur 215.242
Moschus infra oculos cerui 51

N

Napelli remedium bezaar 222.236
Nirabri fructus contra venena 12

O

Obstructionibus bezaar medetur 228
Oßiū de corde cerui vsus 52
Os in corde boum 53
Oues Peruanæ 259
Ouum bouis 66

P

Pachi 98
Pacos 255.260
à Pachos, prouerbium Impacatus 261
Panni varii ex lana ouium Peruanorum 260
Partum facilitantia 56. 69.228
Pazar lapis 86
Pesti cōpetit lacryma cerui 55. bezaar 233
in Peste an bezaar vsurpandus 209
Philtra 67
Pila in capra & oue 66. rupicapræ 67.69.71. in vituli ventriculo 64
Podagram arcent tegetes ex lana Vicunnes 258
Prægnanti phylacteriū lapis 63
Puluis contra lumbricos 277

R

Radix cōtra venena 117. contra vertiginem 69
Rupicapræ pila describitur 67. vsus 68

Sal

S

SAl theriacale 282
Scorpionis imago in lapide 88
Scrophulis vtilis bezaar 215
Serpentum morsibus medetur 243
Serpentum Alcohol 282
Serpentum caro vitam ꝓlongat 39
Smaragdus, ipsi lapidi præfertur 251
Sordes oculorum cerui 32. 42. 43. 46. earum vsus 56
Sublimati sumpti symptomata 245
Sudor qualis à bezaare moueatur 195

T

TAraguas descriptio 259. 268
Taruca 97
Tauardete 276
Terra Lemnia bezaari ꝑfertur 251. montis Regalis 29
Theriaca, bezard dicitur 6. est commune bezaar 9
Theriacæ nomen 8. etiam compositis conuenit ibid.
Thus Scorpionis imagine q̃uo & cur signetur 88
Tophus iuuencæ 65

V

VAriolæ Indis epidemii 213. his bezaar medetur 213
Veneno cuilibet suũ est specificum bezaar 9. 10
Venena fugans imago 89. bezaar adpẽsum prodest 219
Venenorũ bezaar quæ 8. 9. omnium theriaca 54
Venenis omnib. bezaar resistit 217. 275. quomodo 217. historiæ quibus restitit 234
Vicugne 97
Vicunnæ descriptio 257. 268. lana serico similis 257. caro oculorum doloribus medetur 258
Vlceribus antiquis bezaar vtilis 215
Vnicornu, ipsi lapidi præfertur 243
Vomitoriis bezaar additur 219
Vulneribus venenatis bezaar vtilis 215

FINIS.

ERRATA TYPOGRAPHICA.

Pag 6. lin.7. nunquam notum p.7. l.16. quamuis Cardanus p.9.l.7. præferri p.9.l.6. &curam & p.14.l.9. antid. l.11. ſimpl.18. p.24.l.20.cap.16. p.35.l.24. dici p.42. l.6. obſeruetur p.43.l.21. colligi p.50.l.20. lapis eſt p.53. l.7. obtrudunt p.61.l.17. x medic.com. p.67.l.8. d.lib.7. p.73.l.2. dicitur, Fabio Columnæ p.81.l.13. guerræ p.89. l.12. ſerpentem p.90.l.22. deſerto feciſſe l.25. Arlenſis p.91.l.3. at Arlenſis p.96.l.8. Hager aſos p.109.l.11. Luſitani ſententia l.13. Chainus, citante p.113.l.26. degentium p.115.l.14. vnam p.116.l.20. Camerarius f: p.124. l.3. priore l.26. ſua p.140.l.19. faucibus orci p.145.l.ult. dele & p.156.l.22. de feb.peſt. l.30.cap.42. p.170.l.7. ſyndrome p.180.l.20. per ſex continuos p.181.l.7. Claudinus p.199.l.21. utiliter (addit) p.200.l.14. induxerat l.21. Icteritia nigra p.206.l.11. At vt p.208.l.25. cap.46. p.214.l.16. & Paræus p.221.l.13. præſtantiſſima p.227. l.27. prius exquiſitè p.241.l.30. remedia etiam p.253. l.24. vi occulta p.256.l.19. feroces

FINIS.